DISPUTATIO INAUGURALIS JURIS PUBLICI

CONTINENS

HISTORIAM ORDINUM GENERALIUM BELGII SUB CAROLO V.

DISPUTATIO INAUGURALIS JURIS PUBLI

CONTINENS

HISTORIAM ORDINUM GENERALI BELGII SUB CAROLO V,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI CHRISTIANI KI

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

FRANCISCUS GUILIELMUS ANNAEUS BEELAERTS VAN BLOKLAND,

E PROMONTORIO BONAE SPEI.

AD DIEM XXX M. MAJI A. MDCCCXXXVI, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAIORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD H. W. HAZENBERG.

MDCCCXXXVI.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PATRI OPTIMO

GERARDO BEELAERTS VAN BLOKLAND,

J. U. D.

ORDINIBUS GENERALIBUS ADSCRIPTO,

INSIGNIBUS EQUESTRIBUS ORDINIS LEONIS BELGICI ORNATO,

CONCILII STATUS ACTUARIO,

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Quum Academiae valedicturo qualiumcunque progressuum speciminis conscribendi mihi incumberet officium, diuque dubitarem, quamnam tractandam susciperem materiam, arridebat tandem praesertim argumentum e jure publico Patriae nostrae. Inprimis hoc consilium firmabatur utilitate ac voluptate, e publicis, quas de priori Patriae statu politico ac civili *habebat Vir Cl.* THORBECKE, *lectionibus percepta. Hunc igitur adibam, rogans, ut mihi illius generis materiam suppeditaret. Lubens huic Vir Cl. satisfaciebat desiderio, mihique persuadebat, ut disputarem* de instituto Caroli V, Belgicas Provincias in unum Reipublicae corpus componendi, ita, ut in priore Parte exponerem consilii suscepti causas, in altera ejus perficiendi rationes. *Hoc elaborando argumento magnopere delectabar. Verum tardius progredie-*

bar, quam optarem; attamen totum laborem ad finem perduci posse adhuc sperabam. Variae autem causae eaeque gravissimae toties me ab eo prohibuerunt, ut tandem exordium et unum caput, Ordinum Generalium sub Caroli V historiam *continens, absolvere decernerem. Consiliis tamen Viri Cl. obtemperare statui, reliqua, nisi desit facultas, in posterum conficiendi atque in lucem edendi.*

Multum abest, quin hoc meum, quod tibi offertur B. L., opusculum omnibus absolutum sit partibus. Difficultatem mihi praebuit Ordinum Generalium illius temporis actorum absentia; haec enim tunc vel nondum sunt conscripta, vel conscripta statim sunt amissa: non enim ante annum 1576 *reperiuntur. Consequens fuit, ut hic illic vestigia mihi essent quaerenda. Goesii utriusque diarium inprimis mihi exstitit fons, quem consulerem. Praeterea cogita, quaeso, L. B. tibi offerri fructus studiorum juvenis imperiti, qui fortasse laborem suscepit viribus imparem, quique non hocce conscripsit opusculum, ut novi aut docti quid te doceret, sed ut, veterem Patriae statum indagando utilem ac jucundam sibi ipse operam navaret.*

Pium autem et dulcissimum mihi nunc incumbit officium, gratum meum animum palam profitendi erga Vos, quos optimos praeceptores mihi habere contigit.

Primo tibi, Vir Doct. GUIL. TERPSTRA, *Gymnasii Erasmiani Rector, pro egregia tua institutione, pro sinceris et amicis tuis consiliis gratias ago habeoque quam maximas.*

Vos, Viri Cll. Leodiensis Academiae Professores, quorum, tum literarum, tum juris quondam interfui lectionibus, grati mei animi accipite testimonia!

Te inprimis compello, Cl. F. VAN LIMBURG BROUWER, *qui nunc in Academia Groningana Literarum Humaniorum ac Philosophiae Theoreticae Professoris fungeris munere. Non tantum tu, egregiis tuis praeceptis juvenilem meum animum instituere et ad verum literarum amorem informare voluisti; sed et domesticam tuam familiaritatem mihi liberaliter tribuisti, ita ut non modo te haberem optimum praeceptorem, cujus scholis magnopere delectabar, sed et suasorem et amicum, cujus numquam mihi deerant consilia. Noli sinceras meas pro omnibus tuis in me meritis recusare gratias, ac me eadem, qua antea, prosequere benevolentiâ atque amicitiâ. D. O. M. vitam tibi tribuat felicem, summisque te tuosque afficiat beneficiis.*

Nec minus jucundum mihi est Vobis gratum meum significare animum, quos in alma hac Musarum sede Antecessores mihi habere contigit. Vobis enim Cll. SMALLENBURG, TYDEMAN, VAN ASSEN, COCK, THORBECKE, WTTEWAALL, *multis no-*

minibus me devinctum profiteor. Non tantum me Juris ac Politices praeceptis imbuistis, sed earumdem etiam disciplinarum praestantiam, momentum atque auctoritatem docuistis; me effecistis civem, qui homunculus vestras intraveram scholas; mihi, Patriae quâ inservirem, viam indicastis, quam ut teneren faxit D. O. M. Sincerrimas, integerrimi Viri! pro omnibus vestrum in me collatis beneficiis accipite gratias! »Quis enim (ut recte ait CICERO) *est nostrum liberaliter educa»tus, cui non magistri sui atque doctores, cui non »locus ille mutus, ubi alitus et doctus est, cum »recordatione in mente versetur?" Tuae praeterea humanitatis ac benevolentiae Cl.* SMALLENBURG, *quâ privatis, quibus per biennium interfui, juris exercitationibus praesedisti, numquam immemor ero.*

Vobis igitur, Praeceptores dilectissimi! ex intimo animi sensu apprecor, ut laeta et placida fruamini vitâ, diuque incolumes Patriae et Disciplinae nostrae nobilissimae ornamenta esse pergatis.

Tua autem praesertim, Promotor aestumatissime, Cl. THORBECKE! *in me merita verbis extollere frustra conarer. Egregium te semper meorum studiorum praestitisti ducem, amicum sincerum. Lectionibus tuis, ingenii perspicuitate, verborum concinnitate, rerum veritate excellentibus, semper magnopere sum delectatus. Tu*

inprimis veteris Patriae juris publici studiis me imbuisti, solitâque tuâ benevolentiâ utilia omni tempore mihi, hancce conscribenti disputationem, praestitisti consilia, juvenique imperito et in multis erranti rectam agendi indicasti viam. Pro omnibus igitur, carissime Praeceptor! quibus me cumulasti beneficiis, sinceras, quas debitas tibi persolvere nequeo, accipe gratias! Hoc unum a te rogatum velim, ut eâdem, quâ tamdiu usus sum, amicitia ac familiaritate me, licet Academiam relicturum, prosequi pergas.

Tibi tandem Vir Doct. ac Nob. J. C. DE JONGE! *qui publica Regni curas acta, maximas refero gratias pro singulari tuâ humanitate ac benevolentiâ, quâ mihi, in hujus disputationis conscriptione occupato, non tantum copiam fecisti, publica acta inspiciendi, perlegendi, iis, quae argumento, cui operam navabam, inservire possent, utendi, sed et quaedam nondum edita huic meo addendi opusculo* (1).

Vobis denique, Commilitones Carissimi! jam valedico. Vos inprimis, quibus arctissimo studiorum atque amicitiae vinculo junctus fui, valete! Felicissimae vitae Academicae periodi,

---

(1) *Additamenta haec partem efficiunt Collectionis Mss. (quam acta nostra publica possident) Viri Ampl.* Gérard, *exeunte priore saeculo Concilii Aerarii Bruxellensis Auditoris* (Auditeur) *et Academiae Bruxellensis Actuarii.*

dulcis vestrum consuetudinis, praeclarorum vestrum erga me collatorum amicitiae testimoniorum memoria intimis mihi semper haerebit medullis. Eo vires conjungamus, ut carissimae Patriae prae omnibus utiles simus. Sic optime, non inutile, Leidae nos peregisse tempus, uberrimosque Praeceptorum institutionis cepisse fructus, probabimus. Quidquid eveniat, eamdem, quam huc usque, quaeso, mihi servate amicitiam; vobis me non defuturum promitto.

— Welck Keyser Karel de vyfde wetende, hadde niet alleenlyc in sinne de provincie tot een Koninckryck te brengē ende stellen, maer heeft 'tselve dickmael in zynen Raedt voorgehouden, om daarop te beraden; maer daer vielen veel swaerigheden, niet (alsoo sommige segghen) om de verscheydenheydt van ghewichten ende maten, van kostuymen, landtrechten ende talen die in dese landtschappen, ende in elck landt besonderlyck zyn; maer meestendeels, omdat elke Provincie onder heur eyghene wetten, voordeelen ende oude privilegien rechtelyck staende, haer niet geerne en soude hebben willen stellen onder een Koninckiycke ende ghemeyne wet, besonder de ghene die meest privilegien hadden, gelyck wel behoorlyck soude wesen tot onderhoudt der eendrachticheydt ende oprechter insettingen van een Koninckryck: Oock en heeft desen aenslagh gheenen volkomen voortganck gehadt, mits dat de Keyser met andere sware handelinghen veronledicht was.

L. Guicciardini, *Beschryvinghe van alle de Nederlanden* p. 5. Cf. Bor, *Nederl. Beroerten.* T. I. L. I. p. 2. (edit. a. 1679).

EXORDIUM.

§ 1.

De Imperii Burgundici, sub altera stirpe Principum Burgundicorum e gente Regia Francica, incrementis, ejusque cum Francia et Germania rationibus.

I. Novae stirpis Burgundicae auctor Philippus Audax, Regis Franciae Johannis I filius natu quartus, anno 1363 *Ducatum Burgundiae* a patre accepit; non quemadmodum ejus fratres Ludovicus Ducatum Andegavensem (*Anjou*), Johannes Bituricensem (*Berry*), velut feudum proprium sive rectum, in quod agnati modo succederent, verum sub meliore conditione, ut tribueretur ei *et promiscue heredibus ejus ex proprio corpore legitimoque matrimonio procreandis* (1).

(1) *Dumont*, Corps Univ. Diplom. T. II. P. I. p. 42. *Meyerus*, Annal. Flandr. L. XIII. p. 186.

Comprehendebat autem *Ducatus Burgundiae* omnem tractum, qui a provinciis Insulae Franciae (*Isle de France*) et Campaniae (*Champagne*) versus Meridiem patet usque ad Rhodanum (*Rhône*), et a reliqua Francia separatur Montium radicibus, unde flumina hujus Regni oriuntur, quae aquas suas versus Occidentem in Canalem et Oceanum Atlanticum dimittunt.

Ducatui suo Philippus Audax mox per matrimonium cum Margareta Flandrica adjecit *Comitatus Burgundiae*, *Artesiae*, *Flandriae*, et *Mechliniae*.

Majora adhuc incrementa cepit Ditio Burgundica saeculo XV, regnante Philippo Bono (1419–1467). Conjunctionem omnium Provinciarum Belgicarum sub unius stirpis imperio jam cogitaverat Johanna, ducissa Brabantiae, eamque saeculo XIV praepararunt varia matrimonia inter gentes Principum Burgundiae et Hannoniae (2). Ejus Politices fructus Philippus Bonus collegit uberrimos, acquisitis partim jure hereditario, partim testamento atque emtione, Provinciis Bel-

(2) *Leo*, Nied. Gesch. I. p. 353.

gicis tanto numero, ut vere condidisse *Imperium Belgicum* a PONTO HEUTERO dicatur (3). Philippus Bonus autem primum anno 1428 *Comitatum Namurcensem*, pacto cum ultimo Comite inito, sibi comparavit; dein Bavaricae stirpis in Belgio Provincias *Hollandiam*, *Zeelandiam*, *Frisiam* et *Hannoniam*, quas Guilielmi Ducis filia, postea sine heredibus exstincta, anno 1433 in Burgundiae Ducem transtulit. Accesserunt anno 1430 *Brabantiae*, cui adjunctus erat *Marchionatus Antverpiensis*, et *Limburgiae*, et 13 annis postea *Luxemburgensis Ducatus*.

Solio Episcopali *Ultrajectino*, cui *Transisalania* etiam parebat, imponi Philippus anno 1456 curavit filium suum naturalem Davidem Burgundum. *Gelriae Ducatu* cum *Zutphaniae Comitatu*, Principum Egmondanae stirpis discidio usus, potitus est Carolus Pugnax anno 1473 (4).

Leodienses a Francis eodem modo ac Gelros perpetuo contra Burgundum excitatos, et cum Episcopo semper rixantes, jam Philippus Bonus

(3) In Epistola praemissa L. IV. Rer. Burg. p. 75.
(4) *Pontus Heuterus*, Rer. Burg. L. V. c. 7. p. 134 seq.

mense Januario anni 1466 tributarios sibi fecerat, et coegerat, ad Brabantiae Ducem agnoscendum Leodiensis Ditionis Protectorem ac Defensorem (5); eosque anno 1468 Carolus Pugnax (6) denuo durissima castigatione obsequium docuit.

Ita Ducis Burgundici Ditio versus Septentrionem ad Mare Boreale, versus Meridiem ad Rhodanum (*Rhône*) et Sabaudiam (*Savoje*) pertingebat. Sed erant Comitatus ac Ducatus Burgundiae a Ditione Belgica sejuncti per tres Provincias, duas Germanicas, Elsatiam et Lotharingiam, unam Franciae, Campaniam.

II. *Rationes cum Regno Francico.* Dux Burgundiae, tam magnifica ditione auctus, inter vasallos Coronae Francicae primario loco positus, ipsi Regi unus omnium maxime erat metuendus; quia in eo erat, ut ipso Rege fieret potentior. Rex magnam Regni sui partem, non, quemadmodum Dux Burgundiae Provincias suas, possidebat ipse sive directe. Potentia Ducis non modo ipsum turbatur, sed etiam reliquorum vasallorum

(5) *P. Heut.* op. laud. L. IV. c. 18. p. 117, 118. *Meyerus*, Ann. Flandr. L. XVI. p. 388.

(6) *P. Heut.* op. laud. L. V. c. 4. p. 129, 130.

Franciae integritatem. Quos frangere sibique arctius subjicere Rex non poterat, quamdiu Burgundus exemplo et praesidio suo eorum causae patrocinaretur.

Quanti momenti auctoritas Ducis Burgundiae in rebus Franciae esset, apparuit regnantibus Carolo VI (1380-1422) et VII (1422-1461). Regnum per discidium inter eos, qui partes Burgundi sequebantur, ceterosque, qui Orleanensi Duci adhaerebant, fere dissolutum, ad se ab Anglis tuendum, prorsus impar erat, quamdiu Burgundus Aulae Regique adversabatur. Itaque Rex Carolus VII non dubitavit, vel duriores leges accipere, si modo pacem foedusque cum Burgundo, necessario contra Anglos propugnaculo, componere ipsi liceret. Ita facta fuit die 21 mensis Septembris anni 1435 Atrebati (*Arras*) pax inter Regem et Philippum Bonum (7), cum insigni Burgundi honore et lucro, sed cujus item hunc fructum Rex cepit, ut Anglorum res in Francia ab eo inde tempore concideret.

---

(7) Cf. *Dumont*, o. l. T. I. P. I. p. 309. *P. Heut.* o. l. L. IV. c. 5. p. 90, 91.

Vasallus, cui ejusmodi conditionibus Rex imperii sui conservationem acceptam referebat, Regi, ab Anglis liberato, videri debebat maximum impedimentum Regiae auctoritatis. Quamdiu Dux Burgundiae in ejusmodi fastigio, ut cum Rege ipso contendere posset, ejusque adversariis perpetuo ac firmissimo munimento esse, sibi constaret, Regnum potius in varios Principatus sui juris discerptum erat, quam unius imperio junctum ac constitutum. Certaminis demum inter Regem et Ducem Burgundiae eventus docere poterat, utrum Franciae idem institutum futurum esset atque Germaniae, in qua regia jura sibi singularum Provinciarum Principes magis magisque vindicabant, an vero Rex solus Franciae Princeps cum imperio, in reliquorum omnium locum succedens, esset exstiturus.

Quod sensit Rex Ludovicus XI (1461-1483), omni opera nixus, ut regnum, e feudalibus vinculis liberatum, in Monarchiam veri nominis commutaret.

Consilia sua auspicatus est Ludovicus XI, cum redimendis anno 1463 urbibus ad utramque Somonae (*Somme*) ripam, pace Atrebatensi anno 1435

Duci Burgundiae in securitatem Artesiae omniumque Belgicarum Provinciarum a parte Franciae oppignoratis (8), tum aggrediendo duce Britanniae (*Bretagne*) Francisco II, inter coronae vasallos majores alterum locum occupante. Regis proposito sic patefacto, paullo post auctoribus filio Philippi Burgundi, Carolo, atque Ducibus Bituricensi (*Berry*), Borboniae et Britanniae, exorta est conjuratio sive *Liga pro Salute Publica*, quae, civitate Regia Parisiorum obsessa, Ludovicum XI die 29 mensis Octobris anni 1465 coegit ad pacem ad Arcem Silvae Vincennis. Ex cujus legibus oppida Picardiae ad Somonam, Comitatus Boloniensis (*Boulogne*) et Guinensis Burgundo erant reddenda, neque eo vivo ulla pecunia redimenda. Flandria in perpetuum libera manebat ab appellationibus ad Curiam Parisiensem; et Duci Bituricensi Ducatus Normanniae erat concedendus (9); quo in hac proxima ditionum vicinitate majorem socii opportunitatem nanciscerentur, sibi invicem, si denuo opus esset, auxilium ferendi.

---

(8) Vid. *P. Heut.* o. l. L. IV. c. 5. p. 90.

(9) *P. Heut.* o. l. L. V. c. 2. p. 126.

Tribus annis postea Carolus Pugnax Ludovicum XI pacto Peronensi diei 14 mensis Octobris anni 1468 adegit, non modo, ad pacem, ab eo erga Ducem Bituricensem violatam, iterum firmandam, sed pro eo in locum Normanniae stipulatus est Campaniam (10), eo scilicet consilio, ut, qui erat inter Ducatum Burgundiae et Provincias Belgicas interjectus tractus, amico socioque Principi pareret. Campaniam, cum anno 1435 de pace Atrebatensi ageretur, frustra Philippus Bonus a Carolo VII petiverat sibi. Ab homagio Regi Franciae praestando sese pace Atrebatensi jam liberaverat Philippus Bonus (11), illudque etiam Carolus Pugnax recusavit, nec unquam praestitit.

Nec tantum Regiae potestati, sed ipsi Franciae Burgundus imminebat.

Burgundus enim, acquisitis praeter Ducatum, ab una parte Comitatu Burgundiae, ab altera vero Luxemburgo, Flandria et majore parte reliquarum Provinciarum Belgicarum, Franciam ab Oriente et Septentrione ita cinxit et obsedit

---

(10) *Meyerus*, Ann. Flandr. L. XVII. p. 395.
(11) *P. Heut.* o. l. L. IV. c. 5. p. 91.

ditione sua, ut mox videretur Regnum, Francico fere par, conditurus, quodque Franciae eo periculosius erat futurum, quo magis unitate imperii Franciae praestaret, et cum Germania communes rationes habiturus esset.

III. *Rationes cum Germania.* Burgundici Imperii praestantia non continebatur dignitate potentissimi Franciae vasalli, verum majorem ditionis suae partem, omnes adeo Provincias suas, praeter Ducatum Burgundiae, Artesiam et Flandriam, feudi titulo ab Imperio Germaniae tenebat; ita ut Dux Burgundiae, agnatus Regiae domus Francicae, et inter ejus Regni Principes primario loco positus, principem pariter quemdam locum inter Imperii Germanici Ordines occuparet. »Philippi Boni aetate," ait P. HEUTERUS (12): »nec Imperator, nec Rex, nec Princeps tanti »nominis inter Christianos vixit."

Illa vero ipsa cum Germaniae Imperio conjunctio Duci Burgundiae non modo in praesens eximio firmamento erat adversus Franciam, sed dignitatis ac potentiae incredibiliter augendae,

(12) Rer. Burg. L. IV. c. 19. p. 119.

ipsi spem viamque aperuit. Agebatur de juribus Germanici Imperii in universum Regnum Burgundicum, pro majore parte Germaniae a Francia ereptum, in Ducem Burgundiae transferendis.

Comprehenderat Regnum Burgundicum praeter Comitatum Burgundiae, quem Burgundus jam velut partem Imperii Germanici tenebat, Episcopatum Basileënsem (*Bazel*) et Comitatum Sabaudiae (*Savoje*), omnem tractum, conclusum inter Rhodanum, Alpes et mare Mediterraneum.

Is tractus constabat, praeterquam sede Archi-Episcopi Lugdunensis (*Lyon*) et aliis quibusdam territoriis minoribus, duabus majoribus Provinciis, Delphinatu (*Dauphiné*) et Provincia (*Provence*). Delphinatum anno 1348 corona Franciae acquisiverat ex dono ultimis Principis (13). Lugdunensis civitas (*Lyon*) jam anno 1312 Franciae se tradiderat. Comitatum autem Provinciae (*Provence*) inde a saeculo XIII possidebat gens Andegavensis (*Anjou*) cum gente Regia Franciae arctissima cognatione juncta.

Has amissas partes veteris Regni Burgundici

---

(13) *Meyerus*, Ann. Fl. L. XIII p. 178.

recuperandi, ipsumque Regnum instaurandi munus et officium sponte ad Burgundiae Ducem pertinere videbatur, quod exsequi Carolus Pugnax parabat, petita ab Imperatore Frederico III, qui Caroli unicam filiam matrimonio jungere optabat cum filio suo Maximiliano, dignitate Vicarii Imperii (14). Sub quo titulo ipsi deferretur vindicatio jurium Imperii in omnia Germanica territoria ad ripam Rheni sinistram, sive Burgundica, sive alia, a mari inde Boreali et Belgicis Provinciis, comprehensis Episcopatibus Ultrajectino, Leodiensi, Cameracensi et Tornacensi, usque in Italiam. In hoc dignitatis gradu collocatus, primum Lotharingiam (15), quae scilicet Comitatum Burgundiae a Luxemburgo ceterisque Belgicis Provinciis separabat, sibi subjecisset, dein ultra Rhodanum et ad Mare Mediterraneum processurus.

Ita Provinciae Belgicae velut radices futurae erant amplissimi Regni, uno contextu continuati, quod naturales limites habiturum erat versus

(14) *P. Heut.* o. l. L. V. c. 8. p. 136. *Meyerus*, Ann. Flandr. L. XVII. p. 410.
(15) *P. Heut.* o. l. L. V. c. 8. p. 136.

Germaniam quidem Rhenum, versus Franciam autem, primum, collos et aquarum divortia inter Franciam et Belgium a Caleto (*Calais*) versus Orientem usque ad Arduennos montes (*Ardennes*); dein, Mosam fluvium; denique, magnam vallem fluminum Saonis (*Saône*) et Rhodani, a qua inde omnes fluvii, insigni discidio facto, aut versus Occidentem aut versus Orientem defluunt.

Nec ipso situ sive geographice tantum variae hujus Regni partes erant unitae, sed plura alia inter se habebant necessitudinis vincula. Inter Provinciam, Delphinatum, Sabaudiam et Italiam Lombardicam ab una parte, et Franciae partem Septentrionalem atque Belgicas Provincias ab altera florentissimum jam dudum exstiterat mercatus commercium. Illud commercium per flumina Rhodanum et Saonem (*Saône*) agebatur, ejusque factitandi praecipua sedes primum fuerant Nundinae civitatis Trojae (*Troyes*) in Campania; dein saeculo XIV Brugas translatae. Itaque regiones, in quibus Carolus Pugnax vetus regnum Burgundicum restituere cogitabat, quaeque saeculo IX Imperium effecerant Lotharii

Imperatoris, nepotis natu maximi Caroli Magni, magnum iter erant permutandarum mercinm inter partem Europae Septentrionalem, quae versus Occidentem vergit, et Meridionalem, ad mare Mediterraneum pertinentem.

Maxime idoneum fundamentum, in quo hujus Regni amplitudo aedificaretur, erant Provinciae Belgicae ad mare Septentrionale adjacentes, et magnorum fluminum Rheni, Mosae et Scaldis ostia tuitae. Tenebant se invicem continuo territorii nexu, et originis populi, sermonis, morum, industriae ac mercatoriae operae communitate; aptissimae adeo, quas Dux Burgundus statim velut unius Imperii partes tractaret.

Atque inciderat altera Burgundica stirps in ipsam hanc aetatem, in qua per universam Europam vis feudalis Hierarchiae debilitari coepit et solvi, et in qua quisque princeps, cui major quaedam ditio obtigisset, dominationem sibi sui juris et liberam perpetuamque condere studuit. Hoc vero duplici factum est ratione, cum foris erga Dominum Superiorem, tum domi erga subditos. Erga Dominum Superiorem: obsequio sublato et aequali juxta eum dignitatis

gradu usurpato. Erga subditos: Superioritatis territorialis (*landsheerlijkheid*) juribus singulis ita componendis, ut ea ad plenum imperium proprie sic dictum (*Souvereiniteit*) recentioris aetatis magis magisque appropinquaret. In ista ratione excolenda Franciae Principes ceteris praeiverant, eamque Burgundica praesertim gens ab initio constanter et felicissime tenuit (16).

Collocaverat autem Burgundiae gens palmarium potestatis et consiliorum suorum praesidium sedemque in Provinciis Belgicis. Quae, hac ipsa de re, mature in hostilium Burgundici Imperii cum Regno Franciae rationum societatem venerunt. Francia videns, non alibi efficacius posse Burgundicam potestatem frangi, quam in Belgio,

(16) Hac in re *P. Heuterus* in Epistola ad Belgarum Ordines, praemissa L. IV. R. B. p. 75. Principum Burgundicorum mentem ac sententiam optime expressit. » *Fundatum*," inquit, » *a tanto Principe* (Philippo Bono scilicet) *imperium, auctum ac conservatum ab ejus successoribus, curate, Viri prudentiss. ne ruat, aut luxata denuo membra a justo legitimoque capite dissipentur. Nihil enim in Rebuspublicis pulchrius, quam solidam corporis compaginem, e diversis Provinciis, quasi membris coëuntem, unius Principis, tamquam pulcherrimi capitis vinculo, conservare ac fovere. Saluberrima videmus corpora, in quibus optime singula membra cerebri temporatae proportioni respondent.*"

his ipsis Provinciis insatiabili ambitione inhiare coepit. Arbitrabatur praeterea aula Gallica, quaecunque Burgundus, princeps scilicet Francicus genere, acquireret, velut adjectiones Ducatus Burgundici, serius ocius Franciae acquiri. Quod novam, quae ex communi inimicitia communique tutela adversus Franciam exstiterat inter Provincias Belgicas, earumque cum ceteris Burgundicis territoriis, necessitudinem magis etiam firmavit.

Idem vero diplomaticarum rationum vinculum mox complexum erat omnes veteris Burgundici Regni partes, quas recuperare Carolus Pugnax sibi proponebat. Haec territoria, adjecta iis, quae Burgundus jam possidebat, per vim Burgundici regiminis in unum uniti sibique constantis Regni corpus colligata, et communem adversus Franciam causam habentia, interpositum quoddam Imperium effectura erant inter Franciam et Germaniam, utriusque particeps, utrique objectum et utrumque cohibens; sed illud Franciae, a qua studiosius ipsi quam a Germania cavendum esset, revera multo efficaciori impedimento erat futurum, quam Germaniae. Nam Germaniae contra Franciam tuendae velut ex-

structo vallo novum Regnum inprimis erat destinatum; Franciam vero a Maris Septentrionalis litore, a Mosa, Rheno et Italia perpetuo arciturum.

Fredericum III quidem Imperatorem animi inconstantia et suspicio, quam Ludovicus XI dedita opera alebat, ne Carolus Pugnax filio ejus Maximiliano Imperii coronam praerepturus esset, prohibuerunt, ne Regis et Vicarii Imperii dignitatem Carolo tribueret (17). Ipse Carolus

---

(17) Vid. *P. Heut.* o. l. L. V. c. 8. p. 136.

Idem Imperator jam Philippo Bono utramque dignitatem frustra obtulerat, saltem obferendi animum habuisse dicitur. Quod sequeotes Papae Pii II (Aeoeae Sylvii), quibus hic Burgundiae Ducem ad expeditiooem contra Turcas inducere volebat, testaotur literae: » *Ceterum ex ipsis Imperatoris lite-* » *ris laeto animo accepimus, sum decrevisse nostra praesertim contemplatione concedere tibi regalem investituram,* » *super qua in tui favorem saepius ad Celsitudinem suam* » *scripsisse meminimus. Et non solum hoc facere deli-* » *berasse, sed etiam affinitatem tecum contrahere nomine* » *filii sui et filiae tui nati, ac tibi Vicariatum Imperii* » *in terris Gallicanis ultra Rhenum concedere statuisse,* » *quod profecto nobis est gratissimum; idque serenitati* » *suae et generositati tuae prosperum et felix esse opta-* » *mus ad pacem et perpetuam consolationem utriusque* » *vestrum ac Sedis Apostolicae et Christianae Religionis* » *conservationem et augmentum. Datum Romae apud* » *Sanctum Petrum, anno incarnationis dominicae 1462.* » *xiiii Kal. Febr. Pontificatus nostri anno quinto.*" Vid. *Pii II Epistolae.* Fol. ed. J. Koelhoff. Coloniae 1458 (1478).

a paternae mentis robore multum diversus, caecae incertaeque ambitioni indulgens, paulo post, suscepta imprudentissima contra Helvetos expeditione, absumtus est.

§ 2.

De Imperii Austriaci in Provinciis Belgicis incrementis, ejusque cum Francia et Germania rationibus.

I. Nuptiis Maximiliani cum unica Caroli Pugnacis filia et herede, stirps Austriaca non tantum in omnes Burgundi ditiones, sed et in omnia ejus jura ac consilia successit, tum ratione Imperii Belgici, tum ratione Franciae ac Germaniae.

Belgii igitur Provinciis, ipsi jure successionis acquisitis, reliquas variis temporibus paulatim adjecit.

Frisiis, qui antea semper directe (*sine medio*, ut dicit bulla altera Maximiliani Alberto data) soli Imperio Germanico subjecti fuerant, Burgundosque Philippum Bonum ac Carolum Pugnacem,

ut Hollandiae Comites, Dominos accipere recusaverant (18), Maximilianus, Romanorum Rex, anno 1498, ut domesticis Frisiae turbis imponeret finem, Albertum Saxonem dedit Gubernatorem Hereditarium Imperialem Frisiaeque Potestatem, tributis huic omnibus Superioritatis territorialis juribus (19). Relicta simul fuit Hol-

---

(18) *Schwartz.* Gr. Charterb. v. Vriesl. T. I. p. 592—596 p. 625—643.

(19) *P. Heut.* Rer. Austriac. L. V. c. 6. p. 129. *Schwartz.* Charterb. van Vriesl. T. I. p. 786. sqq. » *Itaque Albertus decreto hoc fretus regionem eam universam occupato, omnesque ejus partes, insulas, comitatus, arces, oppida, fora, vicos, hominesque eandem habitantes, Comites, antistites, nobiles, ignobiles, ditiones, jurisdictiones, edicta, interdicta, mulctas, mandata, tributa, vectigalia, monetae feriundae jus, Ecclesiastica et politica beneficia, reditus, census, aquas, aquaeductus, littora, portus, claustra, molendina, saltus, pascua, syleas, sepes, feras, ferarum venationes, piscationes, et caetera omnia similia Principum regalia, Magistratus, jura terra marique in potestate teneto, possideto, regito, utitor, fruitor, nova in commodum suum ex aequo et bona instituto, eo quo nobis ipsis haec omnia facere, tenere, instituere, uti frui jus est; populo omni jus dicito, aut dici curato, statuta, mores, leges conservato, sancito, rogato, abrogato, instituito, prohibito, poenarumque mulctarumque dominus esto.*" Cf. etiam Cons. et Amic. *J. M. van Beyma*, Diss. continens Historiam Curiae Frisiacae ab ejus ortu usque ad saeculi xvi exitum. p. 1, 2. Lugd. Bat. 1835.

landiae Comiti Provinciam illam a Saxone redimendi facultas, qua usus est Carolus Austriacus anno 1515, omnibus, quae Saxoni competierant, acquisitis juribus (20).

Rheno-Trajectinos anno 1483 ita devicit Maximilianus, ut Hollandiae Comitem Dioeceseos Tutorem agnoscerent, eoque inconsulto post Davidis Burgundi mortem novum se non electuros Antistitem promitterent (21). Vim autem et effectus hujus pacti prohibuerunt Caroli Egmondani invasiones, donec tandem anno 1528 tota Dioecesis, tam Inferior (*Ultrajectum*), quam Superior (*Transisalania*), tum Gelrorum oppressione, tum turbis civilibus defatigata, sese Belgarum Principi tradiderit, salvo Episcopo imperio ecclesiastico; quam imperii saecularis translationem confirmavit Pontifex Maximus Clemens VII anno 1529 (22).

---

(20) *P. Heut.* Rer. Austr. L. VII. c. 10, 11. p. 169 sqq. *Schwartz* Chart. v. Vriesl. T. II. p. 302. sqq.

(21) *P. Heut.* R. A. L. II. c. 3 p. 69.

(22) *P. Heut.* R. A. L. IX. c. 8. sqq. p. 221. sqq. Cf. Tractatus habiti super translatione cet. apud *C. P. Hoynck van Papendrecht*, Anal. Belg. T. III. P. I. p. 5—120. Fuit hoc

Gromnga ac *Drenthia* Gelricam itidem metuentes dominationem, Carolum V acceperunt Dominum anno 1536 (23).

Gelriae Ducatum ac *Zutphaniae Comitatum*, quos Carolus Pugnax, tum oppignoratione et testamento Arnoldi, Gelriae Ducis, tum Imperatoris Frederici III investitura acquisiverat, armis sibi vindicaverat Carolus Egmondanus, Arnoldi ex filio Adolpho nepos, anno 1491. Perpetua hinc inter Egmondanum et Austriacos gesta sunt bella; hi, praeterquam Burgundi possessione, jus suum repetebant ex variis Imperii Germanici Ordinum sententiis, in sui favorem latis. Tandem mortuo sine liberis Carolo Egmondano, Guilielmus, Juliaci ac Clivae Dux, qui a Gelriae Ordinibus fuerat acceptus, adverso usus Marte, Carolo V pacto Venloensi Gelriae ac Zutphaniae imperium tradidit anno 1543 (24).

---

primum exemplum saecularisationis, cujus alia offerunt pacta Monasteriense a. 1648 et Lunevillianum a. 1801.

(23) *P. Heut.* R. A. L. XI. c. 6. p. 256. sq.

(24) *Id.* R. A. L. XI. c. 21. p. 280. *Dumont*, o. l. T. IV. P. II. p. 264. sqq.

Leodienses rebellantes anno 1483 castigavit Maximilianus, eosque ad pacta, cum Burgundorum Principibus inita, renovanda atque observanda coegit (25); a quo inde tempore debitum Brabantiae Duci praestiterunt obsequium.

Dum talia in Belgio accepit incrementa hereditas Burgundica, a Meredie *Ducatu Burgundiae* jam statim post Caroli Pugnacis obitum privata fuit anno 1477, nec unquam eum recuperavit. *Comitatus Burgundiae* atque *Artesiae* quamvis anno 1482 pace Atrebatensi (26) ab ea cessi, mox tamen anno 1493 pacto Senliaco (27) ad eam redierunt.

Sic tandem saeculo XVI regnante Carolo V (1515-1555) omnes Belgii Provinciae unius Principis subjectae sunt imperio, unoque contextu continuatae Reipublicae praebuerunt faciem. Exstincta Burgundorum stirpe, commune vinculum singularum Provinciarum jura excipere coeperunt. Austriaci autem Burgundica

(25) *P. Heut.* R. A. L. II. c. 2. p. 68.
(26) *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 100. sqq.
(27) *Id.* o. l. T. III. P. II. p. 303. sqq.

secuti consilia illud restituere, quin arctius colligare conati sunt; nec plane frustra laborarunt. Inprimis Carolus V id studebat, ut, quod a majoribus fundatum atque inchoatum imperium acceperat, continuaret, augeret atque stabiliret, omnibus Belgarum Provinciis in unum Reipublicae corpus conjungendis. Omnes inde ut eodem regimine, iisdem legibus, ac paribus tum erga Principem, tum erga se invicem, tum erga exteros uterentur rationibus, efficere tentabat; ut sic conjunctae semper uni eidemque Domino obtemperarent seseque non haberent varias Civitates, sed unius Universitatis socios. Quod ut recte fieret, ita haec conjunctio et regiminis adaequatio erat componenda, ut singula membra suis totius corporis, cujus Caput erat Princeps, anteponerent jura, Provincialibus juribus quidvis detrahendo, quo communis Patriae vis ac commoda augeri corroborarique possent. Nec hoc tantum ad suam auctoritatem firmandam perficere volebat, sed et in subditorum emolumentum, tum ut, auctis inter varias terras necessitudine ac commercio, difficultates, ex variis sibique saepe contrariis imperii forma ac

legibus, privilegiis et consuetudinibus oriundas, auferret, stabilioremque et magis uniformem gubernandi normam crearet, tum ut exterorum, Francorum praesertim, aggressionibus magnum, ex communibus constans viribus, opponeret propugnaculum.

II. *Rationes cum Francia.* Sublato Carolo Pugnace, nihil magis studebat Aula Gallica, quam ut consilia sua exsequeretur, vasallis scilicet opprimendis Regiam auctoritatem in veram monarchiam commutandi. Omnes itaque eo intendendae erant vires, ut magna, quae supererant feuda, coronae unirentur; inprimis cavendum, ne altera surgeret Burgundica domus. Invitis igitur induciis, anno 1475 in novem annos initis, Gallus statim Burgundiam ac Belgium invasit, Flandrosque ad seditionem excitavit. Tali usus est fortuna Ludovicus XI, ut, Burgundiae Ducatu occupato, pace Atrebatensi anno 1482 ei cederentur Comitatus Burgundiae atque Artesiae nonnullique minores Principatus, titulo dotis Margaretae Austriacae, quae Delphino nuberet; utque, sublata Mechliniensi Curia, agnitaque Parisiorum Parlamenti in Flan-

dria jurisdictione, summum Regis in unicum, quod Austriaco superabat Francicum feudum, imperium stabiliretur (28). Quamvis toto Belgio se potiturum sperasset (29), quantum tamen Burgundicum Imperium hoc pacto minuerit, facile apparet. Hunc autem successum non adeo pepererunt Francorum arma, quam civiles Belgarum turbae, Flandrorumque studium, frangendi Principis sui imperium. Quamvis enim hi Franciae uniri nequaquam cuperent (videbant enim, qua ratione Ludovicus XI, qui, patris imitatus exemplum, subsidia sine Ordinum Generalium consensu imponere solebat, subditis imperaret), Burgundorum tamen imperio adaequari Austriacum nolebant, ut sibi privilegiis uti liceret, quae illi ipsis eripuerant. Ad hoc assequendum inter alia necesse judicabant, Principem non ex aliis quam ex Belgio suam ducere potentiam (30).

---

(28) Cf. Pax Atrebatensis apud *Dumont*, o. I. T. III. P. II. p. 100 sqq.

(29) Alias Provincias Coronae unire, alias, quae remotissimae erant; Germanorum Principibus feudorum titulo tribuere jam statuerat. Vid. *Mém. de Ph. de Comines*, L. V. c. 13.

(30) Cf. *Mém. de Comines*, L. VI. c. 9.

Patris premens vestigia Carolus VIII, Anna, unica Francisci II, Britonum Ducis, filia ac herede, ducta uxore, Britanniae Ducatum suo subjecit imperio anno 1491 (31). Hoc facto, magnis sublatis feudis, Regiae auctoritati minus a vasallorum potentiâ erat metuendum: nam Rex ipse et directe tenebat feuda (32), unumque, qui restabat vasallus, ab omnibus in Gallia privaverat sociis.

Non autem pacto Atrebatensi sopitum fuit certamen Regem inter et Burgundicarum ditionum Dominum. Coactus enim hic vinculum feudale agnoverat, deque Ducatu Burgundiae, quem Gallus summa retinuerat injuria, tacuerat, opportunius expectans tempus, quo illum recuperare posset. Anno 1493 restituit quidem Carolos VIII pace Senliaca Margaretam Austriacam ejusque dotem (33), non verò Burgundiae Ducatum, in quem sibi Gal-

---

(31) *Meseray*, Hist. de France, T. II. L. V. p. 769. *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 269. sqq.

(32) Anno 1481 jure testamentario Ludovicus XI etiam nactus erat Provinciae Comitatum ac Ducatum Andegavensem. Cf. *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 82. sqq. *Meseray*, Hist. de France, T. II. L. IV. p. 744.

(33) Cf. *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 303. sqq.

lus plenum competere jus semper affirmabat: feudum enim esse masculinum, quod adeo, Carole Pugnace mortuo, merito Coronae unitum fuerat. Quantum hoc a veritate recederet, apparet ex eo, quod supra (34) diximus.

Ad veterem ergo inimicitiam nova Austriacis Principibus accedebat causa. Continuabatur igitur saeculo XVI luctatio Vasallum inter et Dominum Superiorem, eoque acrius, quo majore uterque polleret auctoritate. Praevidendum erat Franciae, Burgundorum successorem, Imperiali familia oriundum, Germanicisque ditionibus jam potentem, totam Germaniam ei oppositurum. Inprimis ipsi periculum minari videbatur, postquam Carolus V, praeter paternam hereditatem, Imperialem dignitatem, ac Hispaniae Neapolisque acceperat coronas. Quam mutuam inimicitiam vehementer alebat summum Italiae imperium ab utroque affectatum.

Tenacissima inde quatuor Carolum V inter et Franciscum I gesta sunt bella (1521—1544).

His etiam temporibus a suis in Burgundi-

(34) Cf. pag. 1.

dicas ditioues consiliis non desistebat Gallus: non tantum omnibus bellis ipse Belgarum fines aggrediebatur, sed et per Carolum Egmondanum Belgium dilacerare, summumque in hoc acquirere imperium tentabat. Anno enim 1534 a Gelro, qui tunc quoque Groningae ac Drenthiae Dominus erat, reliquasque regiones affectabat, pepigit, ut ipsi suas terras offerret, atque iterum ab eo in feudum reciperet (35).

At meliore sorte usus est Carolus V. Quamvis enim ipse, nti fecerat pater, Galliae Regi praestiterit homagium (36), nec Burgundiae Ducatum recuperare potuerit, non tantum tamen nunquam Curiae Parisiensis in Flandria et Artesia agnovit jurisdictionem, sed pactis Madritensi anno 1526, Cameracensi anno 1529 ac Crespiacensi anno 1544 totum cum Francia dissolvit vinculum feudale, pleno ac summo ipsi cesso in utrumque feudum imperio (37).

(35) *Pontanus*, Hist. Gelr. L. XI. p. 775.

(36) Philippus Austriacus anno 1499 Ludovico XII, Carolus V Francisco I anno 1515 praestitere homagium. *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 412. sqq. *P. Heut.* R. A. L. VIII. c. 1. p. 183.

(37) Pacta illa inveniuntur apud *Dumont*, o. l. T. IV. P. I. p. 400. sqq. T. IV. P. II. p. 7. sqq. T. IV. P. II. 280. sqq.

A Septentrione, a Meridie et Oriente Francia Caroli cingebatur ditionibus, ita ut mirandum sit, Gallum tam efficaciter adhuc ei resistere potuisse: quamvis enim pati deberet, Carolum evadere Italiae moderatorem, nullam tamen territorii Gallici partem concessit, nec Burgundiam quidem tradidit. Hujus rei causae fuisse videntur:

1°. Diversae rationes, quibus Carolus in singulis suis gaudebat terris; dum Franciscus in Francia absolute imperabat, regnumque habebat, integerrimi unitique corporis faciem praebens.

2°. Subsidiorum penuria, propter quam Caroli copiae non fixo semper ac regulari tempore accipiebant stipendium.

3°. Foederum inconstantia Principum Italicorum.

4°. Bella Austriae contra Turcas.

5°. Discidia Ecclesiastica.

III. *Rationes cum Imperio Germanico.* Necessitudo, quae Burgundis jam regnantibus Germaniae cum Belgarum Principe intercesserat, admodum crevit, postquam Burgundicae regiones in familiam Austriacam transierant. Haec

enim magnos in Germania tractus possidebat, plurimis Imperii Principibus conjunctissima erat, ipsiusque Imperatoris fruebatur dignitate. Firmissimum hoc Belgio erat munimentum, quum Germania nunc ejus rationibus implicaretur; quod inprimis regnante Carolo V, et Imperatore et Belgii totius Domino, contigit.

Jam anno 1438 Imperator Albertus Imperium Germanicum in quatuor diviserat circulos, quorum tertius Westphaliam una cum Belgio (nominatim quidem Brabantiam, Gelriam, Ultrajectum ac Hollandiam) comprehendebat (38). Maximilianus, illius secutus exemplum, anno 1500 quatuor his circulis adjecit duos, quorum quintus sive Westphalicus praecipuas Belgii continebat terras (39). Verum cum sex illi circuli nimis ampli essent, nec omnes Germaniae complecterentur tractus, decem creati sunt anno 1512, inter quos Burgundicus, Germanica, quae nepoti Carolo Austriaco tunc subjecta erant feuda, continens (40).

---

(38) *G. v. Loon*, Leenroer. van Holl. P. III. probb. p. 20—23.
(39) *Ibid.* P. III. probb. p. 36.
(40) *Ibid.* P. III. probb. p. 48.

Carolus V autem, postquam totius Belgii evaserat Princeps, omnes Provincias iisdem cum Germania uti rationibus, omnesque pariter Germanorum contra Francos ope frui volebat. Praeterea, quamvis ipse et Germaniae Imperator esset, id tamen quoque studebat, ut Belgarum cum Imperio nexus solutior eorumque Princeps magis sui juris redderetur; praesertim, quum, se mortuo, Imperatoris dignitas et Belgii terrae in diversas manus essent transiturae.

Hoc consilio anno 1548 cum Imperii Ordinibus iniit pactum Augustanum, summâ prudentiâ inchoatum et ad finem perductum (41).

Hujus vi Circulus Burgundicus comprehendebat, praeterquam quae illo jam anno 1512 inclusae fuerant Belgii Provinciae, non tantum reliquas, a Carolo deinceps in potestatem redactas, quae prius alii attributae fuerant circulo, sed et Flandriam atque Artesiam, a summo Franciae imperio nunc liberatas. Quae antea Imperii Germanici fuerant feuda, et nunc talia manebant,

---

(41) *Ibid.* P. III. probb. p. 50. sqq.

eorumque investitura ab Imperatore erat accipienda. Ab omnibus autem Imperii legibus, constitutionibus ac jurisdictione immunes et exemptae declarabantur Belgii ditiones, *ac pro provinciis, principatibus, et suprematibus liberis, et non subditis agnoscebantur;* et omnes uno, ut diximus, comprehensae Circulo, *in posterum ac semper sub protectione, custodia, conservatione et auxilio Imperatorum, et Regum Romanorum et S. R. I. futurae erant, fruituraeque libertatibus et juribus ejusdem, et per dictos Imperatores et Reges Romanorum, et Status dicti S. R. I. semper, sicut alii Principes, Status et Membra ejusdem Imperii defendendae, conservandae, fovendae et fideliter juvandae.* Ad communia Imperii onera tantum a Belgis erat conferendum, quantum praestarent duo Electores, in expeditione contra Turcas, quantum tres. Horum subsidiorum tantum respectu Camerae Imperialis jurisdictioni subjiciebantur.

Anno 1555 Carolus V longius progressus, traditis filio Belgii Provinciis, latius Belgarum Principis jura extendere, ac firmius stabilire, vasallique vincula relaxare cupivit. Caroli Pug-

nacis secutus consilia, a fratre Ferdinando, Romanorum Rege, petiit, *ut Imperii per Italiam et Belgium plena cum potestate Vicarium constitueret Philippum*(42). Verum optato responso non gavisa est haec rogatio.

(42) *G. v. Loon*, o. l. P. III. probb. p. 67.

HISTORIA ORDINUM GENERALIUM BELGII SUB CAROLO V.

CAPUT I.

ORIGO ET PROGRESSUS ORDINUM GENERALIUM.

Primam omnium Belgii Provinciarum Ordines eodem loco ac tempore una convocandi ansam praebuerunt subsidii generalis petitiones; quibus causam dederunt hostiles Franciae erga Belgium rationes. Convocabantur igitur, ut commune periculum viribus arceretur communibus.

Anni enim 1465 die 25 mensis Aprilis Philippus Bonus, Burgundiae Dux, omnium Belgii Provinciarum, ipsius imperio subjectarum, Ordines convocat Bruxellas. Hos, exposito peri-

culo, sibi a rege Ludovico XI metuendo, rogat pecuniae summam, qua bellum, quod pro *Salute Publica* (1) erat gerendum, sustentaret. Praeterea iis declarat, se filium Carolum exercitus, ad hanc expeditionem destinati, creasse ducem, ab iisque simul petit, ut hunc agnoscerent atque acciperent unicum ac legitimum ejus heredem et futurum Belgarum Principem. Annuunt Ordines petitionibus (2).

Haec prima est Ordinum Generalium congressio, de qua mentionem fieri invenimus.

Anno 1471 Carolus Pugnax, ut perpetuis Francorum excursionibus, qui, violata pace Peronensi, Ambianum (*Amiens*) Fanumque Quintini (*St. Quentin*) jam occupaverant, finem imponeret, ac contra Ludovici XI perfidiam et inconstantiam apta sibi quaereret arma, mense Julio Abbevillae, Picardiae urbis, omnium Provin-

(1) Cf. supra pag. 7.

(2) *L. P. Gachard*, Collection de Documens inédits, concernant l'histoire de la Belgique. T. II. p. 183. sqq. T. I. p. 184. sqq. Brux. 1833, 1834. *Miraeus*, Op. Diplom. T. II. p. 1348 exhibet actum, quo Carolus futurus Belgarum Princeps ab Ordinibus Generalibus acceptus fuit. — Non constat, quantum hac occasione pecuniae rogatum aut concessum fit.

ciarum congregat Ordines. His hostilem Galli animum exponit, se igitur semper paratum esse oportere, ut a patriae finibus illum propulsaret, cui nulla sacra esset fides: inopiâ enim equitum ordinariorum duas urbes munitissimas esse captas. Proinde necesse fore, ut certam pecuniae summam singulae regiones in tres annos conferant, qua octingenti Equites (3) in extremis Belgarum finibus ordinario perpetuoque alerentur stipendio. Concedunt Ordines quotannis centum viginti millia aureorum liliorum, Ducis ad instar existimantes, de communi salute agi, communes igitur vires esse intendendas, ne ullum totius corporis laederetur membrum, aut ab eo abscinderetur (4).

---

(3) Sive hastae (*speren*, *lances*, *hommes d'armes*), quia solus Eques hastam gerebat. Constabat hasta ex octo militibus, variis armis instructis. Creabat igitur Carolus exercitum 6400 militum. — Fuit hic primus in Belgio exercitus perpetuus, publici aerarii sumtibus sustentatus. In Francia jam illum anno 1443 introduxerat Carolus VII. Cf. *Olivier de la Marche*, Mémoires, p. 240. *Bijv. op Wagen.* Vad. Hist. Tom. IV. p. 89. sqq.

(4) *P. Heut.* Rer. Burg. L. V. c. 6. p. 153. *Gachard*, o. l. Tom. I. p. 224. sq. affirmat, hanc petitionem factam fuisse anno 1470, sed anno 1471 Abbevillae singularum Provinciarum portiones (*quotes*) fuisse definitas.

Anno sequente (1472) bello renovato, subsidium annuum ad quingenta millia in sex annos fuit auctum, Ordinibus Generalibus, ut videtur, iterum congregatis (5).

Uti plerasque hominum associationes, sic et illas conciones creavit communium commodorum tutela.

Tertium sub eodem Principe Ordinum Generalium conventum reperimus anno 1475, quo Dux ab Ordinibus Brabantiae, Gelriae, Flandriae, Artesiae, Bononiae, Picardiae, Hannoniae, Hollandiae, Zeelandiae, Zutphaniae ac Transmosanorum, Gandavi una coactis, petiit

---

(5) Priv. van Haarlem p. 128. Carolus Harlemo concedens, ut ejus portio in omnibus subsidiis non superaret portiones urbium Lugduni-Batavae ac Delphorum, ait: *» meismement, » de celui de V^c mil escus à nous nouvellement accordé » par tous nos pays de pardeça en général pour le terme » de six ans prochain venant.*"

Observandum, jam eo tempore Belgicas Provincias fuisse appellatas *pays pardeça* (*landen van herwaarts over*); cujus nominis origo posita videtur in illarum regionum situ, habita ratione utriusque Burgundiae: scilicet *citra montium juga*, quae Franciam ac Burgundiam a Belgio separant. Hoc etiam patet ex litteris, a Carolo V Frisiae Gubernatori missis anno 1529, in quibus occurrunt verba *voir onsen landen en heerlichheijden van deser sijden des Geberchs. Schwartz.* Gr. Chart. v. Vriesl, T. II, p. 553.

sextam omnium bonorum partem; haec vero petitio ab omnibus fuit negata (6), judicantibus tributum illud extraordinarium, non esse necessarium.

Principibus Maria et Maximiliano, rebus saepe ad extrema adductis, frequenter convocati sunt Belgarum Ordines Generales, qui opem afferrent, deque summa rerum cum Principe statuerent.

Jam statim post Caroli mortem eos congregavit Maria Gandavi, ut patriae saluti providerent. Communi consensu legati ad Ludovicum XI sunt missi, petitum, ut inducias, cum Carolo initas, servare, cognatamque tueri vellet. Fuit haec ovis a lupo imploratio. Praeterea hic singuli Ordines in Ducissae nomen jurarunt, et ab ea jura ac privilegia postularunt, quae iis indulgere ac confirmare fuit coacta (7).

Inter alia iis concessum fuit, ut libere et propria auctoritate convenire liceret, quo de

(6) *Meyerus*, Annal. Flandr. L. XVII. p. 415.
(7) *P. Heut.* Rer. Austr. L. I. c. 1. p. 45.

gravissimis rebus deliberarent. Unquam autem talem Ordinum Generalium habitum fuisse conventum, nulla probant testimonia; probabiliter, quia Princeps eos convocare non neglexit.

Anno enim 1477 Lovanii Mariae nuptiis consenserunt (8).

Quinque annis post, Alostum convenientes, per procuratores cum Francis de pace Atrebatensi egerunt, cui una cum Maximiliano subsignarunt (9).

Anno 1488 eorum operâ Maximilianus, Romanorum Rex, e carcere Brugensi fuit liberatus (10). Praeterea hac occasione pactum secum invicem inierunt concordiae et unionis, quo inter alia statuerunt, ut, per aetatem Philippi Austriaci minorem, quotannis haberetur Ordinum Generalium concio die 1 mensis Octobris in hac illave urbe Brabantiae, Flandriae aut Hannoniae, ita, ut non ad eamdem Provinciam rediret, priusquam in duabus aliis habita

---

(8) *P. Heut.* Rer. Austr. L. I. c. 7. p. 55.

(9) *P. Heut.* R. A. L. II. c. 1. p. 66. *Comines*, Mémoires, L. VI. c. 9. p. 253 sq.

(10) *P. Heut.* R. A. L. III. c. 6-10. p. 87-91.

fuisset (11). Hac autem facultate unquam illos usos fuisse, nusquam docemur; quod fortasse imputandum turbis ac bellis domesticis, quae illis temporibus rempublicam tamdiu quassaverunt. Legimus quidem, Ordines Generales mense Octobri ejusdem anni convenisse, sed an hoc factum sit vi illius pacti, dubitandum, quum non Bruxellas, uti indictum erat, sed Mechliniam coierint (12).

Per breve tempus, quo Philippus Austriacus ipse imperii gessit habenas (1493-1506), duas tantum Ordinum Generalium conciones invenimus: alteram anno 1495 Mechliniae, ubi cum iis Philippus Reipublicae statum composuit (13), alteram Bruxellis mense Januario anni 1505, quo *f* 400,000 ab iis petiit atque impetravit (14).

Sequentis anni die 20 mensis Augusti Mechliniae Ordines Generales congregavit Gubernator

---

(11) Prima concio haberetur Bruxellis die 1 m. Octobris anni 1488, altera anno sequente Gandavi, tertia Bergis, et sic porro. Cf. *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 199. sqq.

(12) Cf. *P. Heut.* R. A. L. III. c. 12. p. 93.

(13) *P. Heut.* R. A. L. V. c. 4. p. 125.

(14) Cf. *Gérard*, Collectio MSS. Litt. B. n. 270. p. 181.

Generalis, Guilielmus Croiacus, Chevriae atque Arschoti Dominus. Hic eos rogavit petitionem precariam, ad bellum contra Gelrum gerendum. Mense Octobri reduces, varias conciones habuerunt usque ad sequentis mensis finem, in quibus inter alia decreverunt, ut Maximiliano (intellexerant enim Philippum in Hispania mortuum fuisse die 25 mensis Septembris anni 1506) Caroli Austriaci nepotis tutelam obferrent (15).

Anno 1509 Margareta Austriaca, Gubernatrix Generalis, ab Ordinibus Generalibus petiit et impetravit *f* 70,000 (16).

Anno 1514 eadem ab iis precariam rogavit, cui non indulserunt Ordines Generales,. nisi prius impetrata Caroli Austriaci emancipatione, ab avo facta (17).

Imperante autem Carolo V, magis regulariter, si subsidiis indigebat aerarium, convocabantur Ordines Generales, ita ut tunc hoc institutum fre-

(15) *L. P. Gachard*, Analectes Belgiques, p. 16. nota 2. Brux. 1830.

(16) *Gérard*, Collectio MSS. Litt. B. n. 270. p. 183.

(17) *Gachard*, Coll. de Documens inédits etc. T. I. p. 283. nota 1.

quentissimis convocationibus firmiora fundamenta, stabilioremque formam accipere coeperit. Acta Ordinum Hollandiae, ab utroque *Van der Goes* conscripta, plurima exhibent Ordinum Generalium Comitia (18). Prima horum concio, illo regnante, habita fuit anno 1528 Dordraci ac Gorinchemi (19); altera et tertia annis 1529 et 1531 Bruxellis, quarum posteriori adfuit ipse Carolus (20).

Haec de origine et progressu Ordinum Generalium sufficiant. Satis ex praecedentibus constare confidimus, morem illos convocandi jam

---

(18) Praeterea interdum haec consuetudo expressis verbis declaratur; v. c. *Aert van der Goes*, Register, pag. 245: *» Waeromme die Gedeputeerden sustineerden, dat de Keijserlicke Majesteijt of die Coninginne beecrijven moeste een generael Dachvaert van allen den Landen van herwertsover, gelijck men altijt geuseert heeft alsser ducht van oirloge geweest es, tegens Vrankrijck, Engelant ende andere Landen.''* Idem testatur *Adriaen v. d. Goes*, Register ad annum 1545 p. 40: *» Sonder dat als nu, volgende de oude gewoonte, alle de staten van herwaertsover beschreven zijnde, eene generale Propositie gedaen is''.*

(19) *P. Heut.* R. A. L. IX. c. 9. p. 223.

(20) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 107, 154. Monendum, nos uti stilo recentiori, non vero Curiae Hollandiae, quo Aert v. d. Goes, scilicet a die Paschatis incipiens annum.

ante Caroli V tempora fuisse receptum; quare plane a veritate aberrat Doct. Dedel, dicens, concionem diei 27 mensis Februarii anni 1531 fuisse primam, quam memorent Annales (21). Non magis intelligo, quo fundamento Celeb. atque Erud. Kluitii nitatur sententia, ex Provinciarum sub Circulo Burgundico conjunctione, anno 1548 pacto Augustano perfecta, originem petendam esse Comitiorum Ordinum Generalium (22).

CAPUT II.

ORDINUM GENERALIUM COMPOSITIO.

Quamvis hae essent sub Carolo V septemdecim Belgii Provinciae, quarum titulos sibi in actis publicis assumere solebat: Brabantia, Limbur-

(21) *J. Dedel*, Diss. Inaug. de Ord. Gen. Belgii, p. 31. Lugd. Bat. 1823.

(22) Holl. Staatsreg. T. IV. c. 3. p. 499. Idem profitetur *J. J. de Kempenaer*, Diss. de Sanctione Pragmatica Caroli V, p. 23. Lugd. Bat. 1787.

gum, Luxemburgum, Gelria, Flandria, Artesia, Hannonia, Hollandia, Zeelandia, Namurcum, Zutphania, Antverpia (23), Frisia, Ultrajectum, Transisalania, Groninga, ac Mechlinia, tamen et non omnes ad Ordinum Generalium Comitia convenire solebant, et aliae adhuc, quae inter septemdecim non recensebantur, illorum Ordinum partem efficiebant.

Ordines Generales enim ex sequentibus constabant, atque hunc servabant ordinem:

1. *Brabantia.*
2. *Flandria.*
3. *Artesia.*
4. *Hannonia.*
5. *Hollandia.*
6. *Zeelandia.*
7. *Namurcum.*
8. *Ultrajectum.*
9. *Insula* (Rijssel, Lille), *Duacum* (Douai) *Orchiacum* (Orchies).
10. *Tornacum* (Doornik, Tournai).

---

(23) Minus recte igitur *Bor*, Ned. Baroert. T. I. L. I. p. 2. (edit. alt. a. 1679) animadvertit, septemdecim Provinciis pro *Antverpia* adnumerandum esse *Valkenburgum*.

11. *Ager Tornacensis* (Tournaisis).

12. *Valencenae* (Valenciennes) (24).

13. *Mechlinia.*

Limburgum, Luxemburgum, Gelria, Frisia, Transisalania, Groninga, Drenthia ac Tractus Transmosani (*Valkenburgum*, *Hertogenradum* ac *Dalemum*), particularibus nitentes pactis ac privilegiis, regulariter Ordinum Generalium Comitiis non aderant, sed Provinciales habebant conciones coram Gubernatore Provinciali (25); attamen in-

(24) Civitates Insulae, Duaci, Orchiaci, Tornaci, agri Tornacensis ac Valencenarum, quamvis vulgo ad Flandriam ac Hannoniam recenserentur, et harum Provinciarum administrationi subessent, nec ideo separatas Provincias efficerent, suos tamen, quum saepe diu ab illis divulsae fuissent, servaverant Ordines, diversos ab Hannoniis et Flandris. Cf. *L. Guicciardini*, Beschrijvinghe van alle de Nederlanden, p. 319, 324, 356.

Hic notandum, *Borrium* (o. l. T. I. L. I. p 2.) perperam narrare, Valencenas annis demum 1577, 1578 et 1579 separatum obtinuisse suffragium atque Ordines: major enim fides habenda est opinionibus Adriani van der Goes ad annum 1558. p. 26. et Guicciardini, qui ante turbas scribentes, id suis temporibus jam obtinuisse affirmant.

(25) *L. Guicciardini*, o. l. p. 43. Ex diario Advocati *Aert van der Goes* deduci posset, omnes Provincias Ordinibus Generalibus vulgo interfuisse, quum ubique loqui soleat *van allen den landen van herwaerts over*, v. o. p. 164, 217, 264, 339, 348; et duobus locis (p. 255 et 327) animadvertit, Ordines Frisiae, Transisalaniae ac Groningae abfuisse; ex quibus concludendum videretur, eosdem aliis

terdum, si res gravissimae essent tractandae, Ordinibus Generalibus intererant (26).

quidem vicibus adfuisse. Quum autem *Adrianus van der Goes*, ad annum 1558. p. 26. ceterique auctores, qui de Belgarum sub Philippo II. ante turbas historia egerunt, Guicciardino adsentiant, neo dari possit causa, cur, si omnes sub Carolo convenire consuevissent Provinciae, idem non post ejus abdicationem fecissent, dicendum, *Aert van der Goes* de *omnibus iis* locutum esse, qui *regulariter* convenire solebant. Praeterea notandum diarium Goesii valde esse imperfectum, uti probavit Cl. *Kluit*, Holl. Staatsreg. T. V. p. 499; auctoremque fortasse tantum memoriae causa illud scripsisse; in mandato enim *Adriani* demum Advocatus jubetur, Ordinum conscribere acta. Cf. *P. Rendorp*, Diss. de orig. ac potest. Ord. sub Comit. Holl. App. Litt. B. Lugd. Bat. 1782. De munere Ordinum Advocati vid. Doct. ac Amic. *J. G. H. van Tets*, Diss. sistens historiam muneris Consiliarii-Pensionarii Hollandiae. L. B. 1836. Praeterea confirmat nostram opinionem *Gachard*, Coll. de Docum. inédits etc. T. I. p. 311. nota 1. ubi legimus: » *Je lis dans une lettre inédite, que Marguerite de Parme écrivait le 13 Septembre 1566 à Philippe II, » que treize membres seulement étaient accoutumés de » comparaitre aux états généraux, savoir: Brabant, » Flandre, Artois, Hainaut, Hollande, Zélande, Namur, » Utrecht, Lille, Tournai, Tournaisis, Valenciennes, » Malines:* »» *car*,''' *ajoute-t-elle*, »» *quant à Luxem-* »» *bourg, Limbourg. pays d'Outre-Meuse, Gheldres;* »» *Frise, Overyssel et Groeninghe, n'ont accoustumez* »» *venir auedicts estats; mesmes aucuns en sont ex-* »» *empts par traictez faicts avec eux.*" " Nec *Bor* (o. l. T. I. L. I. p. 2.) nostram sententiam oppugnat, quippe qui loquatur de annis 1577, 1578 et 1579, quibus turbae jam diu apparuerant.

(26) *Gachard*, Documens inédits etc. T. I. p. 311. nota 1. qui narrat, in litteris diei 7 mensis Julii 1559, quibus Phi-

Inter Ordines Generales non separatim recensebatur Antverpia, quia haec Brabantiae erat

---

lippus Rex Viglium jusserat, Gandavum convocare Ordines, occurrere haec verba: »*Pour autant que nous voulons convoquer les éstatz, pour nous despecher d'eulx, il sera besoing de non seullement convoquer ceulx que l'on est accoustumé convoquer pour le fait des aydes, mais aussi ceulx de Frise, Gheldres et tous aultres, que l'on est accoustumé appeller en choses semblables.*" Frisios huic conventui anni 1559 adfuisse testatur *Schwartz.* Chart. v. Vriesl. T. III. p. 462, 463, 465–468, 470, ubi docemur, hanc fuisse rem mere voluntariam: prius enim Ordines Frisiae proficisci aut delegatos mittere recusant, invocantes privilegium, a Carolo V anno 1515 agnitum ac confirmatum; cf. Chart v. Vriesl. T. II. p. 679. dein autem adsentiunt, postulatis et impetratis litteris, quibus fatetur Rex, se huic privilegio nihil velle derogare (*acte van non prejudicie*). Frisios quoque conventui generali diei 4 mensis Oct. anni 1540 adfuisse, apparet ex Chart. v. Vriesl. T. II. p. 826. »*Alzoo Keijserlicke Majesteijt nu onlanx de Staten van alle zijne Majesteyts landen van herwartsover heeft doen vergaderen — ter welcker dachvairt de Gedeputeerden van desen Lande mede geweest, ende den Staten van dijen, op ten leest gehalden Lantdach alhier, huere rapport gedaen hebben.*" Vulgo autem Frisiae Ordines, si quid iis cum Gubernatrice Generali esset agendum, delegatos, neglectis Comitiis Ordinum Generalium, separatim mittebant. Chart. v. Vriesl. T. III. p. 173, 175, sqq. Cf. Cons. et Amic. *S. G. H. A. van Beijma thoe Kingma*, Diss. continens Historiam Ordinum Frisiae a Carolo V usque ad ejuratum Philippum II. Sect. I. § 1. Lugd. Bat. 1835. — Abdicationi Caroli V omnium Provinciarum delegati interfuerunt, exceptis Transisalaniae ac Drenthiae Ordinibus. *Gachard*, Anal. Belg. p. 80. »*Et pour ce que les éstatz d'Overyssel, Drenthe,*

annexa, et hujus Ordinibus continebatur (27), quamvis ob veterem dignitatem septemdecim Provinciis adnumerari pergeret. Drenthia ac Tractus Transmosani Provinciarum nomine non gaudebant; illa modo Groningae, modo Transisalaniae nomine comprehendebatur, quamvis perperam hujus partem appellent nonnulli (28).

Ordines vero Provinciales non omnes semper ipsi convenire solebant, sed multi saepe mittebant delegatos (*gedeputeerden*) (29); nec primo demum anno 1555, uti vult Dedel (30); sed

---

» Lingen, Wedd, et Westwoldingerlandt navoijent camparu » ny envoije leurs deputez a ceste assemblee, sa mageste » fiet par apres despescher une commission et pouoir sur » le comte dArenberge, gouverneur et capitaine general » de Frize et desdictes prouinces, pour en son nom im- » perial faire la meeme cession et renunciation; et avoit » encore ung aultre pouvoir de sa Ma^te, pour en son » royal nam faire serment auedis estatz, et quant et » quant i. q. en même temps recevoir leleur, comme il » fiet et se peult veoir par les despesches en estans.''

(27) *Guicc.* o. l. p. 48, 70.

(28) v. c. *Guicc.* o. l, p. 152. et *P. Heut.* de veteri ac sui seeculi Belgio, L. II. c. 7. p. 59 sq. Haec opinio orta fuisse videtur ex eo, quod Nobiles Drenthini olim saepe cum Nobilibus Transisalaniae, quum ambae Provinciae Episcopo Rheno-Trajectino parerent, conventus agere soliti essent.

(29) *Guicc.* o. l. p. 43.

(30) Diss. laud. p. 55. Perperam idem observat p. 64, Hollandiae ac Zeelandiae Ordines ante annum 1555 ipsos gregatim sem-

multo prius, quin jam ante Caroli V tempora, concione scilicet anno 1488 Gandavi habita (31).

Ceterum nullo modo delegatorum missio dignitati aut auctoritati Ordinum quid detrahebat, nec rem parvi momenti esse tractandam indicabat: missi enim sunt delegati occasione abdicationis Caroli V, et Philippi Principis acceptionis; rei sane gravissimae. Causa potius in eo posita fuisse videtur, quod, quum frequentiora haberi coepissent Ordinum Generalium Comitia, totius Ordinum collegii iter nimis esset operosum ac sumtuosum, inprimis iis, qui remotiores erant a Bruxellis, veluti Hollandi.

---

per conveoisse, *nec ultro* illo anno misisse delegatos, sed *jussu tantum* Caroli V. Hio enim non jnsserat *delegatos*, non totum ordinum collegium, veoire (hoc eoim parum suâ intererat), sed delegatos *instructum iri procuratione satis ampla*, ad oovum accipieodum Principem, ne necesse haberent, prius domum reverti. Hollandorum Ordines jam aote anoum 1555 misisse delegatos, patet ex ipsorum actis. *Aert v. d. Goes*, p. 232, 256, 338, 342. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1544 p. 50. ad aonum 1552 p. 1, 2, 3. Ex his simul probavimus, mious vere animadvertere Dedel p. 39, nota 21, oon credendnm esse Aert v. d. Goes, dicenti p. 232, adfuisse delegatos, ideo quod hujus rei nulla nobis in sequentibns Comitiis occurrunt exempla.

(31) *P. Heut.* R. A. L. III. c. 8, 9. p. 8 sq.

Delegati, uti et ipsi Ordines, constabant ex delegatis trium Ordinum classium, Clericorum scilicet, Nobilium atque Urbium, quamvis in paucis exceptio obtineret (32).

Delegatorum numerus non erat definitus, quum singulae Provinciae uno fruerentur suffragio.

---

(32) V. c. ex Flandria veniebant delegati quatuor Provinciae membrorum, Gaudavi, Brugarum, Yprae ac Franconatum (*'t Vrije*); Clerici et Nobiles interdum etiam aderant, sed tantum ad videndum, ne quid contra ipsorum jura ac commoda statueretur. Hollandia mittebat delegatos ex Nobilibus et sex urbibus majoribus: Clerici enim ibi non gaudebant Ordinum classe. Sic etiam Transisalaniae Ordinum collegium efficiebant Nobiles et tres urbes majores, Gelriae Nobiles Bannerati (*Bannerhaeren*), Nobiles ceteri sive communes et urbes. *Guicc.* c. l. p. 44, 137, 152, 194, 288.

CAPUT III.

MODUS, LOCUS AC TEMPUS CONVOCATIONIS.

Convocabantur Ordines Generales a Principe vel ejus Vicario, penes quem erat Generalis Belgii Gubernatio, missis ad Provinciarum Gubernatores aut Curias, quae Ordines ea de re certiores facerent, litteris, tempus ac locum concionis indicantibus (33).

Princeps aut ejus vicarius eos convocabat, quando et quorsum ipsi placebat (34), modo semel, modo saepius uno anno, modo per totum anni spatium omnino non (35); modo Mechliniam, modo aliam in urbem, plerumque tamen Bruxellas, tum quia ibi erat aula ac sedes Gubernationis Generalis, tum quia Brabanti

---

(33) Cf. v. c. *P. Heut.* R. A. L. III. c. 6, 8. p. 87 sq. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 338 *Adr. v. d. Goes* ad annum 1548. p. 34.

(34) *P. Heut.* R. A. L. III. c. 6. p. 87: »*non esse Gandensium convocare Ordines, iis locum diemque designare, sed Belgorum Principis.*"

(35) Sic anno 1536 ter convenerunt. *A. v. d. Goes*, p. 255, 264, 266. Per annos 1532 et 1533 non invenimus, eos unquam fuisse convocatos.

hoc gaudebant privilegio, ut eorum Ordines extra Provinciam inviti congregari non possent (36); ceteri autem, qui ad Comitia Generalia convocari solebant, faciles admodum se praebebant, nec unquam eos extra Provinciam conventus generales agere recusasse reperimus. Contra Hollandi anno 1540 Carolo V declararunt, se responsum relaturos die et loco, quo ipsi placeret (37).

Qui serius veniebant, mulctâ pecuniariâ afficiebantur (38).

An Ordinibus Generalibus competeret jus, propria auctoritate conveniendi, investigare non est hujus loci, quum haec quaestio ab eo sit tractanda, qui de Ordinibus eorumque juribus universe agat.

---

(36) *Guicc.* o. l. p. 43, 127. Hinc sequitur, Brabantorum consensu Ordinum Generalium conventum quidem in alia, quam Brabantiae, haberi posse Provincia. Cui rei exemplo sit concin generalis diei 5 mensis Januarii anni 1552, quae *Brugis* fuit habita. *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1552. p. 1, 2. Praeterea saepissime Mechliniae habita fuisse Comitia jam indicavimus. Cf. v. c. *Aert v. d. Goes*, p. 217, 231.

(37) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 307; „*ende antwoort inne te brengen ten sekere dage ende prefixe plaetse, daer 't uwe Maiesteit believen sal.*"

(38) *Guicc.* o. l. p. 43.

Sufficiat, memorare, id tempore Caroli V nunquam accidisse aut ab illis fuisse invocatum. Pacto anni 1488 quidem statutum fuit, ut quotannis absque convocatione (*sans être mandez*) ipso jure haberetur conventus generalis, sed unquam talem habitum fuisse, non constat (39). Praeterea hoc tantum vigeret, quamdiu minor aetate esset Philippus Austriacus.

CAPUT IV.

MODUS AC FORMA AGENDI.

Postquam omnes advenerant, Palatio vel Aede Publica habebatur concio (*dachvaert generael*) (40), ubi Princeps aut Vicarius interdum ipse (41),

---

(39) Cf. hujus disp. c. 1. p. 38. sq.

(40) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 217, 231, 255, 264, 275, 327. *Guicc.* o. l. p. 44. Notandum, *Adrianum v. d. Goes*, pro inscriptione *dachvaert generael*, quâ pater utitur, dicere solere *vergadering*, dum Ordinum Provincialium concionem pergit appellare *daghvaert*. Cf. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1544. p. 50. ad annum 1549. p. 35. junct. p. 36. ad annum 1552. p. 1. junct. p. 2.

(41) *A. v. d. Goes*, p. 171, 275, 304.

plerumque vero per Praesidem Consilii Secreti (42) eos alloquebatur. Is coram Principe aut Vicario vulgo rogationem generalem (*generale propositie*) declarabat, qua, expositis causa ac scopo, universe subsidia petebat, non expressa generali precariae summa (*secours in 't generael*) (43). Huic addebat particularem rogationem (*particuliere propositie*), quae singulis fiebat Provinciis separatim, quaeque cujusque Provinciae portionem continebat. Utraque scripto singulis tradebatur, quam mandantibus referrent (*rapport te doen*) (44). Principe aut Vicario non contradicente (nam is illos, si necesse judicabat, retinere poterat) (45), domum re-

---

(42) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, p. 154, 165, 217, 233, 309, 348. Interdum hoc fecit Concilii Statns Consiliarius, aut Ordinis Aurei Velleris Cancellarius. Cf. *Guicc.* c. l. p. 44. *A. v. d. Goes*, p. 255, 264. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1548. p. 34.

(43) *A. v. d. Goes*, p. 154. Cf. Addit. A, B, et C. *Gachard*, Documens inédits. T. I. p. 313 sqq. T. II. p. 183. sqq.

(44) *P. Heut.* R. A. L. III. c. 8. p. 88. *A. v. d. Goes*, p. 154, 166, 255, 264, 274, 309, 339. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1542. p. 50, 51. ad annum 1548 p. 34, 35. ad annum 1549 p. 35. ad annum 1552. p. 2. Unam Invenimus concionem, qua particnlaris rogatio pluribus Provinciis una facta fuit. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1549. p. 37.

(45) *A. v. d. Goes* p. 165: » *Die Keyserlicke Majesteit heeft den staten gelast nyet te vertrecken voir dat zy hem con-*

vertebantur, quod profectionis tempus vocabatur *reces* (46). Die ab iis, qui Bruxellis fuerant, indicto (*dach geleyt*) (47), habebatur concio Ordinum Provincialium, qua, institutis deliberationibus, omnium sententiarum (plerumque sibi similium) fiebat conclusio (*acte van conclusie*) (48). Hac muniti Bruxellas redibant ad diem iis praescriptum, nisi legitima causa eos retardasset (49). Ordinibus Generalibus reducibus ac collectis, singuli per suum Advocatum (50) aut unum ex urbium Pensionariis, secundum mandatum responsum declarabant, saepeque scripto tra-

---

den hebben gesproken, als hy se ontbieden sal. p. 266. *Soe dat wy ontrent seven weken stille gelegen hebben tot Bruesel, dat men ons geen afscheyt geven en wilde, voir dat*" enz. Non autem ideo (ut statuit Dedel diss. laud. p. 36) dicendum, Carolum V Ordines parvi aestimasse: minime enim confundendae sunt illius temporis de Ordinum dignitate opiniones cum nostris, quae aevo constitutionali, quod dicitur, comparantur.

(46) Vid. *S. van Slingelandt* Staatk. geschr. T. II. p. 151. *Raepsaet* Hist. de l'origine et de l'organisation et des pouvoirs des États-Généraux et Provinciaux des Gaules, particulièrement des Pays-Bas. c. 4. p. 172.

(47) *A. v. d. Goes* p. 265, 267, 349.

(48) *Ibid.* p. 328, 342, 344.

(49) *Ibid.* p. 276, 329, 350.

(50) *Adr. v. d. Goes* ad annum 1544. p. 58, 59 seqq. Cf. de Advocati munere Amic. *J. G. H. v. Tets*, diss. laud.

debant (51), quod, si consensum contineret, appellabatur *acte van consent* (52). Tunc vicissim Ordinibus dabatur actus acceptionis (*acte van acceptatie*), quo pateret, an et quatenus concederentur conditiones aut supplicationes, quas consensui saepe adjecerant Ordines (53).

Nonnunquam, quo citius perageretur negotium, propositione ex literis convocationis intellectâ, Ordines delegatos mittebant, procuratione atque instructione satis amplâ munitos, ne domum redire ad referendum necesse haberent (54).

---

(51) *Guicc.* p. 44. *A. v. d. Goes*, p. 237, 267.

(52) *A. v. d. Goes*, p. 180, 186, 262, 280, 284, 339.

(53) *A. v. d. Goes*, p. 364. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1545. p. 50, 51, 52, 53, 56, 60. ad annum 1550. p. 11, 15.

(54) *Raepsaet*, o. l. o. 4. p. 172. Exemplum sit singulorum Ordinum delegatorum procuratio, anno 1555 data, ad consentiendum Caroli V. abdicationi, Philippique Principis acceptioni. De procuratione delegatorum Hollandiae, Zeelandiae ac Frisiae vid. *Rendorp*, diss. laud. App. Litt. F. *Boxhorn op Reigersberg*, Chron. v. Zeel. T. II. p. 505, 507. *Schwartz* Gr. Chart. v. Vriesl. T. III. p. 380. Convocati erant Ordines Generales ad diem 14 mensis Octobris; abdicatio autem demum die 25 ejusdem mensis facta fuit: cujus dilationis causam memorant literae delegatorum urbis Namurci, ad ipsorum mandantes missae die 18 mensis Octobris: »Messieurs, nous sommes icy exspectants la proposi»tion et craindons que icelle ne se ferat devant lundy

Ut autem rogatio, Ordinibus Generalibus facta, concederetur, omnium Ordinum, quin omnium horum classium, consensu opus erat. Uti enim in conventu Provinciali cujusque

»prouchain, a raison de ceulz de Frise, Zutfen et aultres »plus loingtains pais, mesmes que on attent icy monsr »Laroidncq (Maximilianum scilicet Ferdinandi, Caroli fratris, filium), »qui serat, comme on dit, a la propo»sition et renunelation aussi present, tellement que on »espere pour sa venne bonne amitie et reintegration entre »le roy (Philippum scilicet, qui tunc erat Angliae Rex), »lo roy des Romains de Boheme (Ferdinandum, Caroli fratrem) »et ses allies auec les pais de pardeeha, qui serat chose »grandement pourfitable pour les pais." *Gachard*, Anal. Belg. p. 76. nota 1. Ceterum notandum Transisalaniae et Drenthiae Ordines non adfuisse abdicationi; vid. supra p. 45 nota 26. Gelriae Ordines delegatos miserant, sed tantum ad audiendum et videndum, non autem munitos procuratione. *Gachard*, Anal. Belg. p. 80: »Aussi trouvé lon, que »les deputes des estatz de Geldres et Zutphen ne vindrent »auethorisez pour receuoir le serment du roy, ny aussi »pour faire serment au roy, ains seulement auoient charge »de comparoir et assister a lassemblee generale de tous »les aultres estatz par quoy fut necessaire que sa Ma^te fist »despescher ung aultre pouoir sur le conte de Hornes, »gouverneur et capitaine general de cette prouince, pour »en son royal nom leur faire lediot serment et receuoir »celui desdiz estatz, commo il fist, et en appert par les »pieces en estans." Ordines Comitatus Burgundiae huic concioni generali non intererant. *Gachard*, Anal. Belg. p. 81: »Et est aussi de noter, que, quant a la conte »de Bourgoigne, la proposition fut faicte aux estatz du»dict pays en leur prouince, et passa leur fait a part."

membri consensus ea conditione dabatur, ut cetera membra consentirent (55), sic in Comitiis generalibus precariae aliaeve propositiones non concedi solebant, nisi omnes adnuissent Provinciae (56). Saepissime expresse addebatur haec conditio (57), sed etiamsi hoc non factum esset, tamen illa addita fuisse censebatur, nec, uti saepe professa est (58), una negante Provincia, precarias colligere ausa fuisset Gubernatrix. Hinc tot ejus conatus, omnes ad con-

---

(55) Vid. v. c. *Aert v. d. Goes*, p. 212, 213, 225.

(56) *Guicc.* p. 44. *A. v. d. Goes*, p. 217: „*Ende want elck van den Staten gewoonlick waren de propositien te nemen bij geschrifte, om te doen gelijcke rapport, ende gelijckelicke gelaet te commen, dattet nijet andere bij den eenen dan den anderen geraporteert afte vereinen en soude worden.*"

(57) Vid. v. n. *A. v. d. Goes*, p. 230, 232, 245-252, 265, 275. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1549. p. 39, 42, 43, 47. ad annum 1555. p. 44.

(58) *Beaucourt*, Jaerb van 't Vrye. T. II. p. 181. qui narrat, Ordinibus Flandriae, qui ea conditione vini accisas anno 1549 concesserant, ut ceterae etiam consentirent Provinciae, respondisse Mariam, Gubernatricem Generalem, non opus esse hac clausula, cum animum non haberet, accisas in Flandria colligendi, nisi hae simul in omnibus Belgarum Provinciis colligerentur. Cf. *Raepsaet.* n. l. c. 4. p. 176. Idem alio tempore Hollandos accepisse responsum, legisse apud v. d. Goes memini.

sentiendum adigendi; hinc saepe negantes jubebat, denuo domum reverti, ut melius afferrent responsum (59). Pluribus enim suffragiis cedendi, minoribus non incumbebat officium. Attamen saepissime fiebat, ut haec illave Provincia propria voluntate cederet, simul ac omnes reliquas petitioni annuisse vidisset, merito publicae saluti propria postponens commoda; ita ut, quamvis jure plurium consensu cogi non posset, paullatim tamen more recipi coeperit, ut in easdem descenderet partes (60); quod inprimis accidebat, si delegatorum mandatum definitam non contineret responsionem. Hinc saepe legimus, Gubernatricem recusanti persuadere voluisse, ac persuasisse, argu-

(59) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, p. 232, 331. *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1549. p. 42, 46.

(60) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, p. 217, 265, 331, 334, 335. *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1549. p. 45, 47, 50, 52. ad annum 1550. p. 11, 15. ad annum 1552. p. 24, 25, 26, 35, 36, 37: „*Ende alsoe die Edelen ende steden diversch van opinie waren, soe es de resolutie geweest boven te concluderen, eerst gehoirt hebbende den anderen Landen, die voir Hollant opinieren moeten. Ende alsoe dit nyeuwicheyt es, ende allen den Landen angaet gelyckelicken, ergo gelyckelicken te consenteren, of de propositie af te slaen, om te schuwen quade consequentie.*" *A. v. d. Goes* p. 265.

mento, quod ceterae consensissent (61). Nec fortasse a veritate aberramus, dicentes, illam agendi normam, nisi turbae sub Philippo evenissent, tamquam certam regulam introductum iri inter Ordines Generales, sicuti in concionibus Provincialibus jam tempore Caroli V obtinuerat (62). Illis enim temporibus consuetudinis vis quam maxima erat, ac jus constituere solebat. Dico *paullatim* hoc inter Ordines Generales obtinere coepisse: interdum enim recusantes pluribus cedere nolebant (63). Nihil tali casu Principi aut Vicario superabat, quam patientia uti, melioremque exspectare opportunitatem (64).

---

(61) Vid. loca modo laudata. Non igitur dicendum, singulas Provincias non curasse, quid aliae de proposito sentirent, nec suam alienis adaptasse sententiam.

(62) Vid. v. c. *Adr. v. d. Goes* ad annum 1552. p. 20, 37, ubi haec illave urbs consensum dedisse dicitur, pluribus victa suffragiis (*overstemd zijnde*).

(63) Vid. v. c. *A. v. d. Goes* p. 233. ubi Flandri iterum reduces, dicunt, *dat zy geenen anderen last en hadden dan te voiren. Begeerende dat de Coninginne, daermede te vreden syn wilde, ende hemlieden laten ongemoeyt, opdat zy geen arger antwoirde en gecrege.* Cf. etiam p. 267. Satis laudata verba probare confidimus, Ordines sese erga Principem non tam humiliter gessisse, quam volunt nonnulli.

(64) *Guicc.* o. l. p. 44.

Nonnunquam adhuc in unamquemque Provinciam mittebantur Principis delegati (*Commissarissen*), qui Ordines ad consensum inducerent (65).

Ex quo singuli Ordines suum magis magisque plurium adaptare coeperant suffragiis, mutuo Ordines Generales sententiae secum communicare, deque propositionibus invicem deliberare solebant, ut omnium mandata idem referrent responsum, praesertim, si novi aut insueti quid proponeretur (v. c. unio ac tributum generale) (66). In his Principi morem gerebant. Saepe Ordines hoc suis mandabant de-

---

(65) *A. v. d. Goes*, p. 267, 269, 270.

(66) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 220. *Op't derden van der Munte, moet mitten anderen Landen oick gedebatteert worden, want die gelijckelicken in des Keijsers Landen geobserveert moet worden*, p. 223. *Item van allen d'ander poincten sullen die Staten boven ter Dachvaert verspreken mitten anderen Landen.* Cf. etiam p. 171, 172, 221, 264, 265, 266, 275, 346, 350. *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1555. p. 53, 54. Vulgo per Advocatum cum aliis communicabant Hollandi. Bis generalem inter omnes memorat Goesius deliberationem, quae, licet, Flandrorum inprimis operâ, effecto tono caruerit, satis tamen probat, talem non inusitatam fuisse. Praeterea ex eo, quod duas tantum memorat generales deliberationes, non concludi potest, plures non habitas fuisse, quum (uti jam animadvertimus pag. 44. nota 25) diarium illius nonnunquam sit imperfectum.

legatis, quamvis interdum etiam eos vetarent (67).

Si aliqua Principis oratio responsione indigebat, aut aliud quid Ordinum Generalium nomine erat dicendum, unus ex Ordinibus Brabantiae, quippe quae primaria erat Provincia, et in concione generali primo sedebat (68), verba faciebat (69). In conventu generali ille habitus fuisse videtur ordo, quo Ordines Cap. II. pag. 43. recensuimus.

Praeter Ordinum Generalium, interdum quoque quarumdam Provinciarum habebantur conciones, quatenus communia efflagitarent commoda. Hinc annis 1527 et 1528 Mechliniam convocati sunt Ordines Flandriae, Hollandiae, Zeelandiae,

---

(67) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 266, 276, 278.

(68) *Guicc.* p. 44. *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1552. p. 2. Eodem nixus jure, Bruxellarum pensionarius generali concioni diei 1 mensis Decembris anni 1536 Ordinum Generalium rogavit ac collegit sententias. *A. v. d. G.* p. 266.

(69) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 165, 171. Sic etiam occasione abdicationis Caroli V. ac congratulationis Philippi nomine Ordinum Generalium orationem habuit Jac. Masius. Antverpiae Pensionarius. *P. Heut.* R. A. L. XIV. c. 2. p. 339. *E. v. Meteren*, Ned. Hist. L. I. fol. 17. *c.* edit. a. 1614. *Gachard*, Anal. Belg. p. 91.

adjectis dein Brabantis ratione Antverpiae, qui de navigatione ac piscatu deliberarent (70).

CAPUT V.

RES, QUAE ORDINIBUS GENERALIBUS PROPONEBANTUR.

Causae, ob quas convocabantur Ordines Generales erant eae, quae communem omnium Belgii Provinciarum salutem spectabant. Ad has pertinebant:

I. *Precariae generales.* Harum omnes fere Ordinum Generalium Conciones praebent exempla (71).

---

(70) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 36, 71, 79, 80.

(71) Vid. Concio generalis anni 1528. *P. Heut.* R. A. L. IX. c. 9. p. 223. Concio diei 12 mensis Maji anni 1529 (utimur stilo recentiori). *A. v. d. Goes*, p. 107. diei 2 mensis Martii anni 1531. *Ibid.* p. 154. diei 14 mensis Junii anni 1536. *Ibid.* p. 255. diei 8 mensis Oct. anni 1536. *Ibid.* p. 264. diei 27 mensis Martii anni 1537. *Ibid.* p. 276. diei 4 mensis Oct. anni 1540. *Ibid.* p. 309. diei 24 mensis Jan. anni 1542. *Ibid.* p. 327. diei 5 mensis Julii anni 1542. *Ibid.* p. 339. diei 1 mensis Dec. anni 1542. *Ibid.* p. 348. anni 1543. *Ibid.* p. 363. Cf. *P. Heut.* R. A. L. XI. c. 22. p. 280. diei 5 mensis Nov. anni 1544. *Adr. v. d. Goes* ad h. a.

Ex quo omnes fere Belgii regiones ejusdem Principis imperio obtemperabant, communesque nacti erant erga Franciam rationes, ab omnibus peti solebant subsidia. Praeter precariarum necessitatem, earum causa ac scopus Ordinibus Generalibus proponebatur, quo melius dijudicarent, an et quantum necesse esset.

Portiones singularum Provinciarum (*quotes*) definitae erant pro cujusque facultatibus. Non mihi occurrerunt vestigia, ex quibus pateat, fixam et certam fuisse precariarum per varias Provincias distributionem, aut quaenam fuerit cujusque partis, aliarum portionum aut totius summae respectu, proportio. Van Meteren quidem ad annos 1579 et 1600 Provinciarum nobis exhibet portiones (72); sed an hoc Caroli tem-

---

p. 50. diei 25 mensis Oct. anni 1548. *Ibid.* ad h. a. p. 34. diei 5 mensis Nov. anni 1549. *Ibid.* ad h. a. p. 37. diei 5 mensis Jan. anni 1552. *Ibid.* ad h. a. p. 2. diei 15 mensis Febr. anni 1553. *Ibid.* ad h. a. p. 4. Cf. Add. A. diei 1 mensis Martii anni 1554. *Ibid.* ad h. p. 2. Cf. Add. B. mensis Aug. anni 1554. *Ibid.* ad h. a. p. 22. Cf. Add. C.

(72) Ned. Hist. L. IX. fol. 171. *b.* quo auctore hae fuere anno 1579. nonnullarum Provinciarum portiones:

Brabantiae totius summae pars. . . . . 4ta.

Flandriae totius summae pars. . . . . 3tia.

pore ita semper aut plerumque obtinuerit, valde dubitare licet, quum ratione Hollandiae hoc minus verum esse constet. Ille enim hujus Provinciae partem indicat quartam aut dimidiam Flandriae portionis, quod Goesii testimonio, cui hac in re major fides est habenda, minime convenit: ex eo enim patere videtur, Hollan-

---

Hollandiae quarta Flandriae	ergo totius	12ma.
Artesiae sexta Flandriae		18va.
Hannoniae sexta Flandriae		18va.
Zeelandiae quarta Hollandiae		24ta.
Ultrajectum decima Hollandiae		120ma.

Idem L. XXII. fol. 457 *d.* ad annum 1600 notat, cujusque Provinciae in precaria novennali anni 1550 portionem menstruam fuisse talem:

Brabantiae totius summae		$\frac{6}{18}$.
Flandriae		$\frac{3}{4}$.
Artesiae sexta Flandriae	ergo totius	$\frac{1}{8}$.
Hannoniae sexta Flandriae		$\frac{1}{8}$.
Valenoenarum sexta Hannoniae		$\frac{1}{48}$.
Insulae, Duaci, Orchiaci octava Flandriae		$\frac{3}{32}$.
Hollandiae dimidia Flandriae		$\frac{3}{8}$.
Zeelandiae quarta Hollandiae		$\frac{3}{32}$.
Ultrajecti decima Hollandiae		$\frac{3}{80}$.
Namurci decima sexta Flandriae		$\frac{3}{64}$.
Tornaci nonagesima Flandriae		$\frac{1}{120}$.
Agri Tornacensis quadragesima quinta Flandriae		$\frac{1}{60}$.

Mechliniae tria pro centum partis Brabantiae.

dos dimidiam Brabantorum partis solvere solitos fuisse. Hollandorum igitur portionem quodammodo certius scimus. Horum quidem Ordines anno 1552 contenderunt, suam ac Zeelandiae portionem conjunctim tertiam continere partis Brabanticae, verum rectius Gubernatrix respondit, Hollandos solos inde ab anno 1540 plerumque contulisse non infra dimidiam; quibus argumentis tandem cessit Hollandia (73).

Uti in ceteris, sic hic utriusque argumenta non nitebantur lege aut edicto quodam, sed consuetudine, quare nec aliter proportionem singularum partium definitam fuisse, conjicere licet.

Certius tamen ex tabulis adjectis affirmare posse videmur, Ultrajectum vulgo decimam Hollandiae, Artesiam sextam Flandriae partem solvisse.

Ex iis, quae hac de re jam diximus, satis patet, Caroli V tempore cujusque portionem aestimari coepisse, habita ratione aliarum Pro-

(73) *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1552. p. 17, 18, 22, 24, 28, 31, 32, 35. Jam annis 1529 et 1531 Hollandi idem concesserant. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 107 sqq., 154 sqq. Idem obtinuit anno 1553. *Bijv. op Wag.* Vad. Hist. T. 5. p. 89. ubi haec Provinciae illo anno contulisse feruntur:

vinciarum et totius summae; in incerto vero esse, quanta fuerit singularum portio.

Rogabantur ac concedebantur subsidia plerumque in sex, octo aut decem annos, quorum dimidia pars singulis sex mensibus solvebatur (74).

Brabantia	800,000 £.
Flandria	960,000 »
Artesia	160,000 »
Hannonia	216,600 »
Hollandia	400,000 »
Zeelandia	60,000 »
Namurcum	32,000 »
Iosula, Duacum, Orchiacum	120,000 »
Tornacum	30,000 »
Mechlinia	28,000 »
Ultrajectum	40,000 »
Agri Voorne et Putten	15,200 »
Transisalania	8,000 »
Groninga	6,000 »
Drenthia	3,000 »
Summa . . .	2,878,800 £.

Loxemburgum, Gelria, ac Frisia hic non memorantur; an contulerint, non constat. — Anno 1533 Hollandiae Nobiles declarant, Hollandiae ac Zeelandiae partem conjunctim continere quintam totius summae partem. *A. v. d. Goes*, p. 211. An et quatenus hoc plerumque obtinuerit, dirimere non audeo; certe anno 1550 utriusque portio conjunctim fuit totius $\frac{15}{72}$, ergo fere $\frac{1}{5}$, Hollandiaque sola plus quam Brabantia contulit; haec enim $\frac{40}{144}$, illa vero $\frac{44}{144}$. Vid. nota 72.

(74) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, p. 107, 154, 255.

Praeter subsidia, ab Ordinibus Generalibus rogata, interdum et in conventu generali a Provincia quadam separatim petebatur precaria, si nempe ejus solius praesertim spectabantur commoda (75).

Concessis precariis, omnia iterum Principis erant; attamen jam dudum more receptum fuerat, ut Ordines concurrerent ad statuendum modum, quo conferrentur subsidia, ad indicandum tributi genus ac res, quibus hoc imponeretur (76). Amborum igitur hac in re, tum Principis, tum Ordinum, opus erat consensu. Plerumque vero Ordines tributum proponebant, quod approbare solebat Princeps, quamvis, hunc interdum (quod jure facere poterat) illud rejecisse, non desint testimonia (77).

Vulgo singulae Provinciae suis utebantur tributis pro diversa sua indole ac commodis,

---

(75) Exemplum adfert *A. v. d. Goes*, Reg. p. 107: *» eysschende » van Hollant — daer en boven tachtich duysent gulden » tot onderhout van den Knechten ende maken van den » slote binnen Utrecht.*"

(76) Non confundendae, uti fecerunt nonnulli, precariae ipsae cum tributis: haec enim tantum sunt modi, illas exigendi.

(77) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 358, 361. *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1544. p. 9-22. ad annum 1552. p. 36, 37.

nec altera alterius hac de re inquirebat sententiam, ut eamdem tributi speciem ordinaret. Carolus autem noster Ordinibus Generalibus proponere coepit eadem per omnes tributa. In concione scilicet generali diei 4 mensis Octobris anni 1536 Maria, Caroli soror, Gubernatrix Generalis, generale tributum proposuit accisas vini, cerevisiae, lanae, bombycis, cet., relicta simul facultate Ordinibus Generalibus, aliud proponendi. Sed frustra. Flandrorum inprimis operâ, qui tenaciter negabant, hoc conamen effectu caruit (78). Postquam sequenti anno focorum tributum non meliore gavisum erat sorte (79), anno 1549 vini accisae, in quatuor annos propositae, ab omnibus acceptae sunt (80). Anno 1552 Ordinum Hollandiae delegati rogati sunt, ut mu-

(78) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 264-268.

(79) *Ibid.* p. 276, 277.

(80) Vid. v. c. *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1549. p. 37, 39, 42, 43, 45, 46, 47, 52. Quamvis p. 37. de quatuor tantum Provinciis fiat mentio, idem tamen omnibus propositum fuisse tributum tum ex seqq. patet, tum ex Flandriae ediotis (*Plac. v. Vlaand.*) T. I. p. 661. ubi harum accisarum edictum legi potest. Totam omnino per omnes Provincias hac in re aequalitatem desiderasse Gubernatricem, ex eo patet, quod ne ullam quidem conditionem ab Hollandis

tuis initis deliberationibus generale tributum excogitarent (*dat sij bij maniere van communicatie souden adviseren een yegelijck een égael middel, daer mede men de geëyschte penningen over alle de Landen soude mogen vinden*); at responderunt, habita deliberatione, *dat 't selve niet doenlijck was, overmits de natuijre van den Lande divers is:* quo responso contenta esse debuit Maria (81).

Non legimus, idem postea denuo tentatum fuisse; ex quibus pateat, hoc Caroli consilium, semel tantum probatum, intra conatum stetisse.

Precariarum usus libere Principi relinquebatur; attamen interdum tabulas accepti et expensi Ordinibus Generalibus inspicere licebat, iisque prioris precariae expensae ratio reddebatur, quo

---

adjici passa sit: »*dan dede hare Majesteyt verklaren dat de expressie ende uitdruckinge van Dordrechtsche ritsinge in deselve gestelt, onredelijck was, daerdoor inequaliteyt ende ongelijckheydt komen soude, want die van Hollandt genietende Dordrechtsche ritsinge, min souden contribueren, dan de andere Landen, mits welchen henluyden oorsake gegeven soude werden van onwilligheydt. ende swarigheydt te maken in haer consent; dat daerom syne Majesteyt in meeninge was den Impost sulcks te doen heffen, dat over al gelijckheydt ende eenparigheidt weeen soude.*" *Adr. v. d. Goes*, ad h. a. 52.

(81) *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1552. p. 3.

paratiores redderentur, ad praesentem concedendam (82).

II. *Res ad gubernationem, ac politiam* (83) *generalem pertinentes.* Non tantum ad precarias proponendas convocabantur Ordines Generales, sed aliae praeterea res, communem spectantes patriam, gravissimique momenti, illorum sub-

---

(82) Cf. Add. A. »*Et affin, Mesrs, que puissiez scavoir* »*lemploy des deux aydes de la precedente annee, et* »*ceque pour cest yeer a este despendu, sa Mate vous* »*fera monstrer o present por la Royne les estats sur* »*ce dresses par lesquels cognoistrez clerement que sans* »*quelque notable nouvelle ayde, seroit impossible a sa-* »*dite Mate de continuer ce quil convient pour la deffence* »*requise etc..*" Add. C. »*Et consume grosse somme* »*d'argent sans aucun fruict, n'aiant aussi ceste provi-* »*sion de sadite Mote estee faiste sans grand coust et* »*despence, que toutesfois il tient pour tres bien et tres* »*utilement emploiee et confie, que vous jugerez le mes-* »*mes, considerant le fruict que les pays ont tire de* »*ceste negociacion, que vous congnoistrez plus clere-* »*ment, si vous vous voulez representer les fraix qu'il* »*eust faillu faire a deux coustelz, si outre cequ'a este* »*requiz pour repoulser le roy de France; il eut fallu* »*dresser nouvelle armée, outre celle que lon soustient la,* »*contre ledit Marquis Albert et ses adherens, la frontiere* »*de Frize, Hollande et Gheldres ou le coustel de Luxem-* »*bourg, la qualite desquelles frontieres vous est co-* »*gneue, et par ce povez juger larmee dont lon eut heu* »*de besoing de ce costel la.*"

(83) Hoc verbum tunc temporis latioris, quam hodie, erat significationis; omnes enim regiminis civilis complectebatur partes (*Burgerlijke regering*).

jiciebantur judicio. Solebant enim Belgarum Principes, quo paratiores redderent Ordines, ad concedenda subsidia, variis eos donare juribus, varias iis indulgere conditiones aut supplicationes, quas hi suo consensui saepe addebant (84). Eodem consilio Carolus V, qui semper fere bellis erat occupatus, ideoque magna pecuniae copiâ indigebat, Ordines saepe de variis regiminis partibus consulebat.

Causae, quam modo retuli, accedebant quoque aliae, quae veram Caroli indolem ostendunt; quarum altera, ut, quum ipse omnia scire non posset, eorum inquireret sententiam, quos existimabat meliorem pertractandi negotii suorumque commodorum habere scientiam. Hoc consilium ei negari non potest, qui Belgas tam sincere diligebat, saepeque Ordines convocabat, ubi stricto jure non tenebatur. Altera causa erat, ut eo magis subditi legibus sese obstrictos judicarent. Tertia, ut constaret, ni-

---

(84) Saepe tamen etiam, Principe urgente, Ordines ab iis destitisse, multa docent exempla, v. c. *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1545. p. 50-53, 56, 60. ad annum 1549. p. 39-53. ad annum 1550. p. 6, 11, 15.

hil contra privilegia actum fuisse, aut ab iis ipsos subditos destitisse.

Quum autem per omnes Belgii Provincias, regimen magis uniforme introducere vellet, non Provinciatim, sed conventu generali convocare solebat Ordines.

Ad illa negotia pertinebant:

1°. *Actus solemnes:*

a. Caroli V abdicatio, Philippique Principis acceptio et salutatio (85).

b. Gubernatricis Generalis creatio ac salutatio, ejusque mandati datio ac praelectio (86).

c. Jurisjurandi praestatio magistratuum summorum, veluti Concilii Secreti Praesidis, Provinciarum Gubernatorum, Brabantiae Cancellarii (87).

---

(85) *Gachard*, Anal. Belg. p. 70-106. Anni 1549 die 1 mensis Novembris Carolus Ordinibus Generalibus gratias egit, quod Philippum futurum accepissent Principem. Addit. D. *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1549. p. 36.

(86) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 165, 171. Sic etiam anno 1549 Ordines Generales certiores fecit Carolus V, Mariam, quae Gubernatione Generali se abdicare voluerat, munus iterum suscepisse. Addit. D. *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1549. p. 36.

(87) *A. v. d. Goes*, p. 309.

2°. *Edicta generalia* (*Algemeene Plakaten*); quae Carolus saepe nonnisi auditis prius Ordinibus Generalibus promulgabat, ut ea, quae hi populi saluti contraria existimarent, mutarentur aut ejicerentur (88).

Duo inprimis nobis exstant Edicta, quae plures Politiae partes continent, quorumque alterum est diei 7 mensis Octobris anni 1531, vulgo appellatum *'t Groot Plakaat concernerende de Politie dezer Landen*, alterum diei 4 mensis Octobris anni 1540, dictum *'t Eeuwig Edict* (89). Continent praecepta circa:

---

(88) *Ibid.* p. 166, 170, 171, 174, 187, 190, 309. Minus recte igitur *Dedel*, Diss. Iand. p. 38. animadvertit, nullas secundum Ordinum sententias illa edicta subiisse mutationes, quasi Ordines has impetrare nunquam potuissent. Verum quidem est, nihil in Edictis laudatis mutatum fuisse; at hujus rei causa fuit, quod Ordines explicatione data fuerint contenti; hoc probatur tum ex laudatis Goesii locis, tum ex eo, quod in posterum mutationes rursus petierint nullas, quas rogare alioquin non neglexissent.

(89) Inveniuntur apud *Schwartz.* Chart. v. Vriesl. T. II. p. 594 et 698. Gr. Utr. Plak. T. I. p. 413 et 421. Plak. van Vlaand. T. I. p. 751 et 767. — Notandum, in Edictis ipsis commemorari solere Ordines, si quidem auditi fuerint. Edictum a. 1531 hac utitur inscriptione: » *Ordinancien en statuten, dye de Keyserlycke Majesteyt in zynder teghewoordicheyt op den VII dach Octobris int jaer MCCCCCXXXI heeft doen lesen en verclaren den Staten*

a. Politiam Ordinis publici. Edict. a. 1531. Art. 9, 10, 11—14, 27, 30—33. Edict. a. 1540. Art. 18.

Politiam Ecclesiasticam peculiariter. Edict. a. 1531. Art. 1, 43. Edict. a. 1540. Art. 1.

b. Politiam rei judicialis. Edict. a. 1531. Art. 4. Edict. a. 1540. Art. 11—16.

c. Politiam rei oeconomicae. Edict. a. 1531. Art. 2 (90).

---

van sinen landen van herwaertsover, ende de welcke aldaer wt gheroepen en gepubliceert zyn geweest op den XV dach Novembris daeraenvolgende." Edictum a. 1540 tali modo inscribitur: » *Ordinantien statuyten en edict des doorluchtigen en onuerwonnen K. M. Karolus de vyfste van die name — gepubliceert ind' vermaerd' stadt van Bruessel in die presentie van synd' hooger maiesteyt, en der ald' doorluchtichster Coninginne gouuernante en regente deser synre ned'landen, ende by fine der Staten van allen desen synre M. nederlanden, den vierden dach van October, in 't jaer XV^c en XL.*" Utrumque hoc edictum varia continet placita (v. c. de moneta, notariis, monopoliis, pauperibus, luxu), quae Ordines Hollandiae (probabiliter et alii) Carolum rogaverant. Cf. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 2, 6, 7, 10, 16, 17, 20, 26, 32, 40, 45, 47, 53, 56, 57, 63, 103, 104, 105, 106.

(90) Hic art. spectat monetam. Quamvis enim ipsum jus monetam cudendi esset regale, jam dudum receptum fuerat, ut Princeps nonnisi Ordinum consensu monetae cursum ac valorem ordinaret ac mutaret. Variis hoc Belgarum Principes concesserant ac confirmaverant privilegiis. Brabanti

Mercatus commercium peculiariter. Edict. a. 1531. Art. 5, 6, 41, 42. Edict. a. 1540. Art. 7—9.

Curam Pauperum, Edict. a. 1531. Art. 15, 16—26.

Leges sumtuarias. Edict. a. 1531. Art. 28, 29, 34—38, 40.

---

illo jure jam gaudebant anno 1314 chartâ Walloniea. Cf. *Raepsaet*, o. l. c. 4. p. 184. Hollandi ac Zeelandi annis 1393 et 1424 Comitibus Alberto Bavaro et Johanne Brabanto. Cf. *S. van Slingelandt*, Staatk. geschr. T. I. p. 21. Philippus Bonus laeto suo introitu hoc etiam Belgis juravit, quod sequentes Principes confirmarunt. Cf. v. c. Plak. v. Brab. T. I. L. II. tit. 1. c. 9. art. 26. Inde postea de omnibus edictis monetariis Ordines Generales auditi fuisse memorantur; cf. v. c. edicta annorum 1489, 1516, 1520, 1526. Plac. v. Vlaand. T. I. p. 443, 471, 480. Gr. Chart. v. Vriesl. T. II. p. 165, 388, 588. Nec mirum, quum haec res arctissime cohaereat cum precariarum solutione, incolarumque permultum intersit, nummorum pretium recte definiri, nec subito et pro arbitrio augeri aut minui, nec eorum compositionem deteriorem aut justo meliorem fieri.

Ex quo pleraeque Belgii Provinciae ab uno regebantur Principe, frequentiusque sic invicem habere coeperant commercium, suâ magnopere referebat, eamdem in omnibus adesse monetae cursum ac valorem. Hinc edicta ad hanc rem pertinentia omnes pariter obligabant, et, si de moneta quid statuendum erat, Ordines Generales convocabantur. Hinc, si una Provincia hac de re quid a Principe impetrare vellet, non sola rogabat, sed aliarum sententias inquirebat, quas ad idem a Principe petendum induceret. Pariter, si Princeps hac de re quid proposuerat, Ordines Generales mutuas secum inire solebant delibe-

d. Legum de Jure civili ac criminali ordinationem et emendationem universe. Edict. a. 1531. Art. 3. Edict. a. 1540. Art. 10 (91).

---

rationes. Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 32, 220. Eodem fundamento non Provincia querebatur, edicta monetaria in alia non satis striote observari, obedientiamque debitam ubique efflagitabat. *Ibid.* p. 149: *Item die Gedeputeerden hebben oick geclaecht, dat nyettegenstaends de beloften hemlieden laest tot Mechelen gedaen, die Munte in Vlaenderen, Artois ende Frontierlanden nyet onderhouden en wort.*

Observaodum edictum generale anni 1531, non continere ipsa circa haeresin et mooetam constitutiones, sed tantum memorare, specialia de his ediota eodem die 7 mensis Octobris Ordinibus Generalibus esse praeleota, quae separatim suot promulgata. Inveniuntur ambo in Plak. v. Vlaand. T. I. p. 113 et 184. Cb. v. Vriesl. T. II. p. 604 et 588. Continent magna ex parte confirmationem ac renovatiooem priorum edictorum; quod illis temporibus, quo coosuetudioe jura introducebantur atque abrogabantur, minime erat superfluum.

(91) Jam antea Carolus, casdem in toto Belgio reddere oopieos leges, privilegia, ac consuetudines, Ordinibus Hollandiae proposuerat anno 1526, ut Hollandiae consuetudioes in scripturam redigerentur; ooncesserant Ordines, modo Prinoeps boc suis, non Hollandiae, faceret sumtibus et ex sua auctoritate. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 25, 27. Quo melius id in omnibus obtineret Provinciis, Ordinibus Generalibus idem annis 1531 et 1541 proposuit, edictisque imperavit, ut consuetudioes colligerentur, consoriberentur, reviderentur ao reformarentur, sublata confusione ac contradictiooe.

Quaenam illa fuerint jura ao consuetudines, quaenam ad consilium attingendum omnia instituta fuerint conamina, quatenus effectum baec habuerint, iovestigare non est hujus loci; quum hic tantum, an et quatenus Ordines Generales hac de re auditi sint, ioquirendum sit.

Nonnulla juris civilis capita constituuntur. Edict. a. 1540. Art. 12, 17.

Certis delictis poenae statuuntur. Edict. a. 1531. Art. 7, 32. Edict. a. 1540. Art. 2-6.

e. Rationes variarum Provinciarum inter se invicem, earumque discordias componendas. Edict. a. 1531. Art. 44.

3°. *Unio generalis.*

Quum hostilia Franciae erga Belgium consilia omnes Provincias complecterentur, Belgarum Principes, inprimis vero Carolus V, eo tendebant, ut omnes periculum haberent commune, quod ideo communibus arcendum erat viribus. Hic igitur subsidiis egens ad bellum contra Francos gerendum, Ordines Generales convocare solebat, nec tantum ab iis precarias rogabat, in quorum terras jam incurrerat hostis, sed et ab aliis, a belli theatro remotissimis, fundamento eo, quod uni allatâ injuriâ omnes itidem afficiebantur. Recusanti, si quae esset Provincia, respondebat, se rem debere perpendere: si enim nunc alias adjuvare nollet, in posterum, periculo ipsi imminenti, harum auxilio pri-

vatum iri (92). Illud mutuae defensionis et auxilii principium ab Ordinibus fuit acceptum ac comprobatum, tum verbis, quum idem saepe sint professi (93), tum re, quum precariae generales concederentur atque adhiberentur, ubicunque periculum earum usum postularet, non cujusque portio ad defensionem donatoris; quia defensione unius ceteri pariter tuebantur (94).

---

(92) Cf. *A. v. d. Goes*, p. 331. Nec hoc monitum tunc caruit effectu.

(93) V. c. *A. v. d. Goes*, p. 245: *» Waeromme die gedeputeerden sustineerden, dat de Keyserlicke Majesteyt af die Coninginne beecryven mosste een generael Dachvaert van allen den Landen van herwertsover, gelyck men altyt geuseert heeft alsser duckt van oirlage geweest es, tegens Vrankryk, Engelant, ende anders Landen, in welcken saken die van Hallant mitten anderen Landen wel contribueren moeten.* p. 250: *» Die vairsz Gedeputeerden hebben ter antwoirt gegeven, — van mitts Generalité van allen d'ander Landen des Keyserlicke Majesteyts van herwertsover te doen als een goet Lidt."*

(94) Hoc a Gubernatrice etiam expresse declaratum fuit anno 1552 Cf. *Adr. v. d. Goes* ad h. a. p. 25: *» dat die penningen komende van alle de Beden en Petitien van de Landen van herwaertsover, sullen by hare Majesteyt geëmployeert werden, daer de noodt sulcks eerst en meest vereyschen sal."* p. 35, 36: *» en soo verre de noot sulcks eyschte, souden niet alleen die penningen by andere Landen geconsenteert, tot haerluyder defensie employeren, ende soo verre de noot oock eyschte, in andere Landen breeder provisie*

Eodem fundamento nitebatur conditio, qua precariae concedebantur, scilicet ut ceteri aeque consentirent. Eamdem invocarunt Hollandi regulam, petentes, ne aliis mercaturam agere liceret cum ea civitate, quae ipsis esset hostilis, pollicentes se Principi non defuturos, modo et alii suam conferrent partem; bellum enim non esse Hollandiae, sed Imperatoris. Gubernatrix idem sentiens plerumque justae Hollandiae petitioni satisfecit (95). Etiamsi hoc mutuae de-

---

te doen, souden oock de penningen, by die van Hollandt geaccordeert, aldaer geëmployeert moeten werden; en souden (de Vyanden voor ondere Landen geschut weesende) daer door oock die van Hollandt gedefendeert zyn, en daeromme en vermocht oock hare Majesteyt niet in de acte von conceent toe te laten de clausule, dat de geconsenteerde penningen alleen geëmployeert souden werden tot defensie von den Lande van Hollondt." Quam doctrioam comprobarunt Hollandi. p. 36, 37.

(95) Vid. v. c. *A. v. d. Goes*, p. 189, 190, 195, 197, 198, 208, 211, 212, 213, 214, 220, 243, 245, 247, 250, 254. Sciendom enim, Gubernatrioem, si vereretur, ut omnes auxilium praestare vellent (qnod obtinere in bello maritimo inprimis a Provinciis terrestribus difficillimum erat, quum plerumque non Princeps, sed urbes maritimae classem parare solerent), ab ea Provinoia tantum rogasse opem, cui maxime imminebat bellum. Jure reciprocitatis innixi, Hollandi hoo negabaot, merito contendentes, Provincias Franciae adjacentes ipsis debere adferre auxilium, quum Hollandia illis opem attulissent.

fensionis atque auxilii principium satis generaliter accipi coepisset, nondum tamen tam firmas egerat radices, quin ad precariarum concessionem interdum difficillime, aliquando omnino non induci possent Provinciae, ab hostis praesentia adhuc immunes. Sic saepe solae finitimae Provinciae, inprimis Hollandia, belli Gelrici ferebant sumtus, ita ut Hollandiae Ordines anno 1542 subsidia, contra Francos rogata, primo negarent, *omdat die penningen nyet souden gaen tot defentie van Henegouwen, Artois ende andere Frontieren die noeyt den Lande van Hollant te baten (in heur oirlogen ofte lasten) gecommen en zyn* (96); quamvis hoc non tam absolute verum fuisse aliunde pateat. Deinceps tamen Gubernatrici morem gesserunt Hollandi.

Pessimi illius rei sentie bantur effectus: si

---

(96) *A. v. d. Goes*, p. 329. Anno 1536 itidem declaraverant, *dat zy sichtent Coninck Philips doot, geleden dertich jaren, gedragen hebben die lasten van den oirlogen tegens Gelre, Vrieslant, Utrecht, Oostlant, apart, ende oick mitten anderen Landen d'oirloge van Vranckryck, daer zy nyet in verschoent en syn geweest, maer hebben gecontribueert, als of zy naest den brande geseten hadden. A. v. d. Goes* p. 259. Cf. etiam quae leguntur nota praecedenti.

enim omnes semper bellum contra Gelrum gessissent, hic multo prius oppressus fuisset, Belgiique vires, quae nunc partim contra hunc adhibendae erant, totae sese contra Gallum obvertere potuissent; dum nunc contra Gelros saepe admodum occupabantur (97). Ut igitur huic malo efficax afferret remedium, Unionem generalem moliebatur Carolus, qua non (uti huc usque) singulis bellis subsidiorum praestatione *facto* virium conjunctio iniebatur, quae igitur summis exhaustis finiebatur, nisi denuo Provinciae opem indulgerent; sed vi cujus *juris* nasceretur vinculum, quo *semper et ipso jure* ad mutuum auxilium obstringerentur. Non igitur amplius rogare necesse haberet Princeps, an subsidia conferre vellent: ad hoc enim ipso jure ex unione tenerentur; sed quantum quaeque conferret, qua-

(97) Carolus enim Egmondanus paternae hereditatis reouperatione noo cootentus, Proviocias Brabantiae (saltem partem Septentrionalem), Hollaodiae, Trajecti, Frisiae, Traosisalaniae, Groningae ao Drenthiae quoque affectabat; quod patet tum ex eo, quod duas priores nonnunquam sit depopulatus, saepeque iis imminuerit, ceteras autem magna ex parte occupaverit, tum ex *A. v. d. Goes* p. 59: »*dat de Heere van Gelre hem beroempt hadde, beyden de Stichten eerst te conquesteren, ende daernaer Vryeslant, Hollant ende Brabant.*

leque tributum imponendum aptum judicaret; nec dubito, quin, confecta unione mox generalis subsidiorum partitio facta fuisset, quae definiret, quota totius summae pars cuique solvenda esset.

Anno 1524 unio inter Brabantiam, Hollandiam, Zeelandiam et Frisiam frustra tentata, melius processit quatuor annis post inter Hollandiam et Brabantiae urbes Antverpiam et Sylvam Ducis. Unio tunc contra Gelrum inita fuit in tres menses, dein in duos adhuc prorogata (98). Eodem anno 1528 Ultrajecto Carolo V cesso, Hollandiae Ordines, non adeo ne hostes, uti fere semper antea evenerat, eo sese reciperent, unde Hollandiam invaderent: hoc enim pariter sine arctiori illa unione effici poterat; sed potius, ut suae Provinciae augerent dignitatem ac potentiam, rogarunt, ut Ultrajectum Hollandiae uniretur, eo, quo Tornacum Flandriae, modo, suppressa nimi-

(98) *Schwartz.* Ch. v. Vriesl. T. II. p. 146. *A. v. d. Goes*, p. 61, 62, 65, 66, 67, 68, 73, 76, 78, 79, 80, 90, 91, 92, 93, 94.

rum Trajectensi Curia. At Carolus, ne mutandis Trajectensium invitorum institutis sese iis, vix in subjectionem receptis, odiosum redderet, hoc abnuit, cetera concedens anno 1534, scilicet ut ambae Provinciae semper ab uno regerentur Gubernatore; ut earum Ordines simul convocarentur; ut utrique Curiae invicem non tantum ex sua, sed et ex altera Provincia delinquentes in exsilium ejicere liceret; utque ambae Provinciae nunquam separarentur (99). Ex quo igitur sibi invicem auxilium esset praestandum.

Huc usque nonnullarum tantum regionum ac pro tempore contracta fuerat unio. Anno autem 1534 prima tentata fuit Generalis totius Belgii Unio.

Jam edicti anni 1531 articulo ultimo Provincias rogaverat atque imperaverat Carolus, ut, quandoquidem mutua Provinciarum amicitia sit fun-

(99) Gr. Plakaatb. T. III. p. 21. *Dumont*, o. l. T. IV. P. II. p. 110. *A. v. d. Goes*, Reg. p. 84, 86, 87, 94, 172, 174, 175, 187, 234, 248, 316, 318, sqq. — Hinc duabus Hollandiae Ordinum concionibus, anno 1540 Hagae Comitum ac Harlemi habitis, Episcopum Trajectensem interfuisse, eorumdemque conventum Provincialem Ultrajecti quoque habitum fuisse invenimus. Cf. *A. v. d. Goes*, p. 306, 307, 337.

damentum potentiae, integritatis, tranquillitatis ac salutis Belgii, invicem sese diligerent, amicosque tractarent; ut secum invicem communicarent, quibus singulae vicissim abundarent; ut sese mutuo defenderent ac tuerentur, sicuti eas decet, quae uni obtemperant Principi; ut si qua fortasse inter eas oriretur lis, amice componerent; quod si fieri non posset, dirimerent Provinciarum Gubernatores, aut, si necesse sit, Gubernatrix Generalis, excluso omni in jure processu; ut, si unquam ei obedire cuperent, hoc nunc probarent; ipse pollicitus, se eas ab omni vi et injuria tutas redditurum (100). Eadem adhuc ipse

(100) » Eñ als vãder onderlinger en mutueelder vrienscap eñ in» telligentie tusschẽ onsen landẽ eñ ondersatẽ vã herwaerts » ouer die weloke wi den statẽ van de seluẽ onsen landẽ » in huere leste vergaderinge bi ons hebbẽ doẽ proponerẽ, » Aenmerckende dat in die voorscrevẽ intelligẽtie eñ goede » vrientscap leeght ende consisteert principalio de macht » versekerheyt eñ ruste, eñ in effecte de gemeyn weluaert » vã onsen voorscreven landen versoeckẽ wi hẽ eñ ordon» nerẽ seer ernstelic ende op also vele als si ons begerẽ » ghehoorsaem te wesen eñ te belieuẽ, eñ tot huer eyghẽ » weluaert versekertheyt eñ ruste ghelye si onder ons als » huerẽ eenigẽ natuerlikẽ prince eñ ouerste heer, staẽ eñ » zyn, dat si also elcanderẽ liefhebben en vnderlinghe mu» tuel eñ goet verstant hebbẽ, dat si tsamẽ vriendelic ver» keerẽ eñ elckanderẽ communicerẽ en te helpẽ comẽ vã al» len dinghẽ daer af de commoditeyt meer sal wesen in » deen landt dan in dandere, eñ als ghebuerẽ vriendẽ eñ

oratione sua Ordinibus Generalibus commendaverat (101).

Anni autem 1534 die 12 mensis Julii Ordinibus Generalibus proposuit Maria Generalem Unionem, simul rogans, quantum eâ initâ singulae Provinciae sibi imponere vellent.

Concione generali diei 15 mensis Julii anni sequentis huic propositioni responderunt Ordines Generales. Hollandi, etsi melius existimarent, foedus componere cum Brabantia, Frisia, Trajecto,

---

» ondersaten, onder eenē prinee staende, schuldich zyn » ende behoorē te doene, eñ dat zy maleanderen helpē » ende bystaē in huer mutuele beschermenisse versekerheyt » eñ ruste. Eñ indien tusschē eenige van den voorscreue » landē eenige oorsake vā swariebeyt opquame oft gebuerde » dat tselue met vrientscap te neder geleeght sal wesen, » indient doenlie si, indien neen, by middele van den gou- » uerneurs van dō voorseydō landō elck int sine, en waert » van node by internentie vā onser voorscreuē zeer lienē » eñ beminde soster die Conioginne, sonder figuere ofte » forme van processe. Eñ bōuendien datselve ons zeer be- » quaem wesen sal, sullen wi henliedē na onser macht » bewarē beschermē ende preserueren vā allen oploopē, » crachten, fortsen, violentie eñ molestiē, als een goet » eñ natuerlycke prinee en ouerste heer schuldich is te » doene, sinē goedē ghetrouwē eñ ghehoorsame landen » ende ondersaten."

(101) *A. v. d. Goes*, p. 171. » Daerna naem de Keyserlicke Ma- » jesteyt oirlof an den Staten, begeerende dat zy malcao- » deren communieeren accordt ende liefde onderlinge heb- » ben wilden."

Transisalania, Groninga ac Drenthia (quippe quibus magis directe et ab eodem hoste, scilicet Geiro, erat timendum), Principi tamen satisfaciendum censuerunt; modo aliae etiam Provinciae consentirent, seseque obligarent, ad Hollandos adjuvandos, eosdemque, quos ipsa, habendos hostes: *want alle defentien ende oirlogen vuyt syne Majesteyts naam ende van synder wegen gedaen moeten worden, als van 't Hooft, ende de subventie van den Landen als Leeden van den Hoofde etc. achtervolgende de redenen by den Coninginne geallegeert welcke redenen den voirsz van Hollant wel behaecht.* Quae verba veram Unionis mentem indicant. Verum non omnes idem senserunt: Flandria inprimis ac Frisia obstiterunt unioni conficiendae, quamvis Gubernatrix Ordinibus Generalibus denuo congregatis, declaraverit, se a singulis separatim auditis accepisse consensum, pro quo iis gratias egit, petens, ut constanter idem consilium tenerent, atque observarent, de quo non dubitaret (102). Hoc autem fuit arti-

---

(102) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 218, 221, 229, 230, 232, 233. *Schwartz.* Chart. v. Vriesl. T. II. P. 679.

ficium, quo omnes sese obstrictos fingerent ad illam observandam.

Anno 1537 Gallo Belgas premente idem iterum conata est Maria, Ordines Generales rogans, *dat zy onderlinge souden maken een unie ofte accordt van malcanderen bytestaen tot resistentie van den voirsz Coninck, daertoe hemlieden behoirde te verwecken de lyefde van heur even Christen Menschen op te Frontieren geseten. Ten tweden die defentie van hemselven van nature. Ende ten derde die getrouwicheede van heuren Prince den Keyserlicke Majesteyt, mit veel meer woerden, zoe by den voirsz Schore geproponeert ende by de Conninginne gerepeteerd ende toegevoucht, enz.*

At huic propositioni non melior obtigit sors. Brabanti quidem consenserunt sub conditione ut et alii hoc facerent, dicentes, *dat sy een lit waren mit allen den anderen Landen, makende een corpus, daer de Keyserlicke Majesteyt dat hoeft van es, verhalende heurlieder getrouwicheyt van voirleden tyden, ende alsnoch getrouwe wilden blyven, presenterende heur lyf ende goedt t'employeren, nyet alleen om dese reyse den voirsz Coninck te resisteren in Artois, maer in wat Quartier hy of eymant anders soude*

mogen commen ende oploep maken. Welverstaende of 't zoe quame dat die van Brabant in eniger noot of last quamen, dat d' ander Landen beloven wilde van gelycke te doene. Artesia, Hannonia, Insula, Duacum et Orchiacum, Namurcum, Tornacum, Mechlinia, ceteraeque statim eamdem amplexae sunt sententiam, praeter Flandriam, Hollandiam et Zeelandiam, quae prius domum reverti cupierunt ad referendum (103). Praesumi autem licet, tres illas Provincias priorem, quam anno 1535 dederant, et nunc amplexuras fuisse sententiam, Hollandiamque ergo et Zeelandiam unioni calculum adjecturas, Flandriam vero constanter negaturam fuisse. Quum autem omnes precariae 1,200,000 florenorum in sex menses consentirent, non amplius ursit Gubernatrix, difficultate, Flandros, qui omne semper vinculum atque obligationem recusabant, suaeque libertati ne minimum quidem in communis patriae commodum detrahi patiebantur, ad suum consilium inducendi, perspectâ.

Eidem causae adscribendum puto, Carolum

(103) *A. v. d. Goes*, Reg. p. 274, 275.

in posterum conamina non iterasse. Quod praecipue in eo admirandum, postquam Gandavenses tumultuantes anno 1540 castigaverat. Clarum indicium prudentis Caroli regiminis, eumque Belgas non opprimere conatum esse, aut eos libertate privare voluisse! Accedit, quod nullum a Francis tunc temporis ipsi impenderet bellum; et *facto* tamen Provinciae mutuum auxilium sibi praestarent.

Idem tamen unionis consilium Caròli animo non excidisse, perspectum habemus in oratione, qua per Jacobum Masium, Antverpiae Pensionarium, occasione abdicationis Ordinibus Generalibus valedixit, eos admonens et obsecrans, ut concordiam semper servarent, sibique invicem praestarent auxilium, quum omnes Provinciae unius corporis sint membra (104).

---

(104) » *Aussi que vous portiez tout honneur et reuerance a la* » *justice, puisque sans icelle le corps mistique de la re-* » *publicque ne se peult soubstenir, et soubz icelle vous* » *viuez tous en bonne union, tenont regard a ce que si* » *bien les pays sont distinctz et separee, toutesfois con-* » *stituent ils paremsemble ung corps, les membree du-* » *quel, que sont chacun des dicts pays, doivent tous ass-* » *sister mutuellement lung laultre, actendu que sons ceste* » *conionction, lon donneroit aulx ennemis grande opour-*

III. Quamvis *jus belli ac pacis* soli Principi competeret, Ordinum Generalium tamen operâ saepe hic in *negotiis externis* utebatur, sive ut pactum fidejuberent, vel ratum haberent (105), sive ut inter deliberationes Provinciarum commodis prospicerent, curarentque ne quid contra patriae jura ac privilegia statueretur. Semper iis communicabantur pacta.

Varia nostrae sententiae veritatem confirmant exempla.

Quum de pace Cameracensi ageretur anno 1529 Gallum inter et Carolum V, Ordinum omnium legati etiam deliberationibus interfuerunt, qui damni reparationem dandam curarent, pacemque subsignando ac subscribendo confirmarent (106).

» tunite de les oultraiger, et demourans joincts et se aydans » les ungz auls aultres, lexperiance a demonstre jusques » a oires combien ils peulvent pour resister a ceulx, qui » les veullent oultraiger." *Gachard*, Anal. Belg. p. 86.

(105) Saepe partes contrahentes utrinque Ordinum praesentiam ac ratihabitionem expresse stipulabantur, quo magis altera alteram obstringeret, ad fidem servandam, subditis ipsis testibus ac fidejussoribus. Vid. v. c. Art. 86, 90 Pacis Atrebatensis anni 1482. *Dumont*, o. l. T. III P. II. p. 107. Art. 39 pacis Senliacae anni 1493. *Ibid* p. 307.

(106) Vid. Cameracensis pacti Art. 47 apud *Dumont*, o. l. T. IV. P. II. p. 15. Cf. etiam *A. v. d. Goes*, p. 105, 107, 113, 115, 117, 123, ubi (quod singulare) inter Ordines Hollandiae etiam oc-

Anno 1543 Ordinibus Generalibus nuntiatae sunt induciae cum Lubeca initae (107).

Anno post, Gelria reliquo Belgio adjuncta, foedus amicitiae ac mutuae defensionis, Carolum inter et Juliaci Ducem compositum, ab Ordinibus Brabantiae, Hollandiae, Gelriae ratum est habitum (108).

Eodem anno ratam habuerunt Ordines Generales pacem Crespiacensem (109).

Anno 1548 Carolus V Ordinibus Generalibus proposuit pactum Augustanum, quod comprobarent ac ratum haberent. Post nonnullas difficultates singulae Provinciae illi morem gesserunt, ac consenserunt, ut omnium Provinciarum nomine subsignarent quatuor ex Clericis, quatuor ex Nobilibus, totidem ex urbibus clarioribus Belgarum (110).

---

currunt doo abbates (*Prelaten van Egmond ende Bernhem*), qui pacem quoque cum Nobilibus atque urbibus confirmaruot.

(107) *A. v. d. Goes*, p. 218.

(108) Gr. Placaatb. T. IV. p. 31. Eodem anno Hollandi deliberationibus interfuerunt, quae de pace cum Daniae Rege et Holsatiae Duce ineunda habebantur. Cf. *Adr. v. d. Goes* ad anonm 1544. p. 2, 10, 17, 22, 26, 30, 33.

(109) *Dumont* o. l. T. IV. P. II. p. 284. *Adr. v. d. Goes* ad aonum 1545. p. 31, 32, 36.

(110) *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1548. p. 42. ad anoum 1549. p. 8, 16, 21. C f. art. 26 Pacti Augustani apud *G. v. Loon*, Leen-

IV. *In successione hereditaria Principis ordinanda et mutanda* fere semper Ordinum consensum rogabant Belgarum Principes. Carolus V non immemor, quantis turbis respublica agitata fuisset, agitarique semper posset, si non fixae firmaeque circa hanc rem adessent leges, saluti Belgii se non consulere putabat, nisi et Ordines suo proposito, aequalem scilicet in omnibus Provinciis statuendae successionis modum, adsentirent; ne dubium foret, quin in perpetuum eidem ex Caroli stirpe Principi subjecti essent. Ordinibus igitur separatim proposuit, ut Sanctioni Pragmaticae consentirent, qua per omnes Provincias valeret jus repraesentationis, quod in quibusdam non obtinebat. Quam a singulis regionibus comprobatam, Ordinibus Generalibus, Bruxellis iterum reducibus, die 1 mensis Novembris praelegendam curavit (111).

---

roer. v. Holl. P. III. probb. p. 59. *Dumont* o. l. T. IV. P. II. p. 342.

(111) *Adr. v. d. Goes*, ad annum 1549. p. 24, 25, 36. »Et »pour la mesme fin sa dite Ma'e a fait consulter particu»lierement tous les dit estats sur la pragmatioque quelle »pretend faire, afinque estaot la succession du Prince es »pays de pardeca du tout uniforme, sans derogation des

Provincias ex eo existimasse, successionem in omnibus statutam fuisse aequalem, seque quaestiones hujus rei, si quae essent, non singulatim decernere oportere, sed paribus suffragiis, capto secum invicem consilio, fundato illo conjunctionis principio, patet ex deliberationibus et actis Ordinum Hollandiae, anno 1555 occasione abdicationis Caroli V habitis; qua dubitantes, quid juris foret, si facta abdicatione Philippus Rex ante patrem obiret, Ordinum Brabantiae et Flandriae rogarunt sententiam; qui quum nullam difficultatem perspexissent, ipsi quoque statuerunt, dubium non esse movendum (112).

V. *Minore, captivo, vel mente capto Principe, aut rebus ad extrema adductis*, Ordines Gene-

---

» coustumes quant a ceque concerne les particuliers, iceulx » pays demeurent en une masse pour eviter les differens, » que pourraient sourdre entre iceulx, si la succession es- » toit divisee, afinque par mutuelle assistence et correspon- » dance ils puissent tant mieulx resister a toutes emprinses » que lon pourroit dresser a lencontre diceulx." Add. D.

(112) *Adr. v. d. Goes*, Reg. ad annum 1555. p. 53. Neo ullam hac de re justam moveri posse quaestionem judicamus, quum semel abdicatus Carolus mortuus esset habendus, adeoque Regi Philippo, sive post sive ante patrem mortuo, ipso jure succedere deberet ejus natu maximus, nullo invocato jure repraesentationis.

rales *rerum summam resque gravissimas* curabant. Cujus rei Belgii, regnantibus Maria Burgundica, Maximiliano Austriaco ac Philippo Pulcro, historia multa praebuit exempla.

Anno 1477 auctoribus Ordinibus Generalibus Maria Burgundica cum Maximiliano nuptias contraxit (113).

Pacis Atrebatensis anni 1482, quae tum de concedendis Provinciis, tum de Principis tutela cavebat, Ordines Generales re vera potius fuere auctores ac partes contrahentes quam Maximilianus (114).

Sex annis post Ordines Generales occasione liberationis Maximiliani e carcere Brugensi de plerisque generalis regiminis partibus ac Philippi Austriaci tutela statuerunt; quibus statutis invitus accessit Romanorum Rex (115).

Anno 1495 Ordines Generales convocavit Philippus Austriacus, ex quorum consilio statum Reipublicae Belgicae, civilibus bellis ac diversis

(113) *P. Heut.* R. A. L. I. c. 7. p. 55.

(114) *P. Heut.* R. A. L. II. c. I. p. 66, 67. *Cominee*, Mémoires, L. IV. c. 9. p. 253, 254. *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 100 sqq.

(115) *Dumont*, o. l. T. III. P. II. p. 199 sqq.

seditionibus valde perturbatum, in ordinem, Principi ac subditis convenientem, redegit (116).

Mortuo Philippo Pulcro anno 1506, Ordines Generales duobus annis post tutelam Caroli Austriaci Provinciarumque regimen obtulerunt avo Maximiliano; hic nonnisi ex illorum sententia Belgii constituit gubernationem (117).

Convocandis Ordinibus Generalibus Carolus V firmius inter varias Provincias Belgicas creare sibi proposuit vinculum, unumque, uti vidimus, ex iis efficere corpus, cujus singulae forent membra, ipse autem caput; ut conjunctim unius Provinciae speciem assumerent, ac mutua ea uterentur conditione, qua nunc varia unius Provinciae membra. Hunc in finem frequentissimis concionibus generalibus efficere conatus est, ut Ordines Generales exciperent Ordines Provinciales, ut subditi illos non spectarent

(116) *P. Heut.* R. A. L. V. c. 4. p. 125.
(117) *P. Heut.* R. A. L. VII. c. 2. p. 155 sqq. *Gachard*, Anal. Belg. p. 16. nota 2.

tamquam variorum corporum congregationem, sed tamquam totius Corporis Ordines, qui totam Belgarum universitatem repraesentent; ut illorum votis non tenerentur singulae Provinciae, quia sui Ordines interfuerant, atque idem senserant, sed quia totius Reipublicae Ordines hoc comprobaverant.

Ordinum Generalium operâ non tantum arctiorem inter Provincias constituere voluit unionem; sed et in omnibus uniforme reddere regimen communesque omnibus tribuere leges.

Verum hoc non subito et per vim apertam attingere conatus est (quippe quo modo nihil stabile redderet), nec singulorum jura violare, sed prudenter ac pedetentim, eoque efficacius processit. Precariae ab omnibus eodem fundamento rogabantur. Variae Provinciae magis ad sese invicem accedebant, saepe secum communicabant ac deliberabant, aliae aliarum sententiis suas adaptabant, saepe ut Edicta ubique aequaliter observarentur, una rogabat atque impetrabat; eoque jam res processit, ut nonnisi omnibus suffragiis propositio acciperetur; ut singulae non pure ac simpliciter darent consen-

sum, sed sub conditione, ut et ceterae adsentirent; ut recusantes plerumque, aliorum audito consensu, cederent; ut jam Edicta generalia sanctioque Pragmatica conderentur. Ex quibus apparet, magis magisque sese considerasse Provincias tamquam unius Reipublicae partes cohaerentes.

Sic conventus generales sub Carolo V fundamenta jecerunt posterioris temporis Ordinum Generalium collegii, quod sub Carolo nondum effecerunt.

Merito concludere posse videmur, Philippum, si eadem, qua pater prudentia ac regnandi arte usus fuisset, hujus consilium totum aut saltem maxima ex parte perficere potuisse.

Additamenta ex tomo collectionis MSS. Viri Ampl. *Gérard*, notato Litt^{a}. B. n°. 86ter, quique sequentem gerit titulum:
